LIBER PSALMORUM CUM POETICA INTERPRETATIONE LATINE. AUTORE LUDOVICO CRUCIO...




6
16 D
45




Ludovici crucij Psalterium.

A
642

PSALMORVM

INTERPRETATIONE



LIBER

PSALMORVM

CVM POETICA INTERPRETATIONE LATINE.

AVTORE LVDOVICO CRVCIO OLISIPONENSI, SOCIETATIS IESV.

SVPERIORVM PERMISSV.





Impressum NEAPOLI,

Apud Tarquinium Longum. MDCI.

LIBER

PSALMORVM

CVM POETICA INTERPRETATIONE LATINE.

AVTORE LVDOVICO CRVCIO
OLISIPONENSI, SOCIETATIS IESV.

SVPERIORVM PERMISSV.



Impreſſum, NEAPOLI.

Apud Tarquinium Longum. M. DC. L.

ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI NOSTRO CLAVDIO AQVAVIVAE,

PRAEPOSITO SOCIETATIS IESV GENERALI,



Ludouicus Crucius

S.

CVm iuuẽtutem Lusitanam bonarum literarum discendarum gratia ad Academiam confluentem, artem oratoriam poeticamque Conimbricæ plures annos docuissem: videremque re nulla tam iuuari ingenia discipulorum, quàm magistrorum exemplis; sæpe quæ illis componenda proponebam, coram ipse etiam scribebam: & cùm quæ fecerant, palam recitassem; tum mea quoque legebam. Expertusque sum hoc facto euasisse alacriores ad hanc partẽ eloquentiæ capessendam, quæ poliendis carminibus continetur. Sed erant illa eius argumenti, quæ alere studium adolescentiæ videbantur, peri-


peritura tamen, siquidem ad diuturnitatem non parabā-tur. Domi interim præter ea, quæ maiorum iussu Tragica Comicaq; ad publicum theatrum feci; extremo fere tempore quo habui hanc palæstram, animum adieci ad interpretandum carmine diuinum illud opus sacrarum literarum, quo psalmi centum quinquaginta continentur. Etsi enim nō putabam perire mihi tempus, quo obedientia mandante humanam poesim agitabam, tamen hac diuina consolari animum decreui, & pietati dare eam poeticam, qualis qualis ea erat, quam longo vsu cōpararam, id in causa fuisse non diffiteor, quo minus actum agere reformidarem. Sciebam in eodem argumento plures laborasse, duosque præter Flamminium maximè celebrari. Alterum elegantissimum dictione, alterum tam accuratè hærentem Hebraicæ orationi, vt propterea etsi diligentiæ laudem tulerit; ingratum quiddam auribus cecinisse à plerisque videatur. Sed vt de vtroq; profer[am] quod sentio, priori, etsi princeps poetarum sui temp[or]is inscribatur, nihil debet Respublica Christiana. Nam præter summum scelus, quo se per hæresim obstrixit, id egisse videtur, ne clarissima, notissimaq; de Christo Opt. Max. vaticinia, quæ psalmis continentur, sic in carmine apparerent. Quo facto meritò pijs omnibus displicuisse potuit, etiam si suæ factionis colluuioni maximè prædicabilis habeatur. Posteriorem verò interpretem ipse laudo, laudarique à multis vellem, licet enim suauitas tanta non sit in ipso stilo characterque dicendi, doctrinæ tamen habet vestigia non leuiter impressa, adeò vt si quis modò vellet, quod bona ex parte fecit Genebrardus, verborū

sequi

ſequi ſignificationes, hac huius auctoris opera, poſſit opus commentari, iis hominibus gratiſſimum, qui [illegible] notionibus delectantur. Ego porrò vt me venuſtiſſimum præſtare non potui, nec ſi poſſem in re caſtiſſima ac ſanctiſſima modeſtiam poſtulante, præſtitiſſem; tamen aſperitatem fugi, poeticeque loqui ſtudui temperatè: patrum ſententias ſecutus, qui optimè hoc diuinum opus interpretati à ſummis Theologis iudicantur. Quamobrem oracula de Chriſto Seruatore ſtudioſè retuliſſe contendi: contendiſſe porrò deprehendent, qui hanc legerint interpretationem minus fortaſſe elaboratam. Venio nunc ad editionem. miſſum fuerat iampridem opus Romam, ibique à M. Antonio Mureto, Fuluio Carduło, aliiſque doctiſſimis viris lectum & probatum. Quid igitur reliquum fuit? cur ceſſatum? Non putaui tenuitatis eſſe meæ, quod quaſi ſine fuco à lectiſſimis hominibus meus labor probabatur, editionem flagitare, aut auiditate prodeundi quenquam qui id ageret exorare. Videbam enim ex infinita propè multitudine eorum, qui editionem ſuorũ librorum moliuntur, nullum propè eſſe, qui non putet ſe beneuolè aſſiduèque legendum; cùm tamẽ multò aliter eueniat, & de quibuſdam ſine verecundiæ nota iactetur, debuiſſe ipſos ſuo labori perpeciſſe. Id mihi cur non pertimeſcerem accidere quoque potuiſſe? Accedit quòd à puero Societatis noſtræ diſciplina educatus, etſi ad eam rudior, retinebam tamen animo dicta patrum adhortantium cupiditates omnes iugulandas, atque eam maximè quæ humanæ laudis titillatione obrepit. Ob has cauſas imbecillitatem ingenij non ingnorans, & eorum non immemor, qui prio-

res

res magna sui nominis celebritate vires in hoc argumento fatigarunt, gaudebā nihil de isto opere in lucem emittendo cogitari; cùm ad me perlatum est, apud P. T. seriò id agi, ne diutius ei liceat in tenebris latere. Quod si non ab re, nec incerta fama fuit, ac Deo ita volēte lux aliqua fauorabilis librum hunc expectat, eumque iussio P. T. in publicū exire mandat, id oro; ne sine eo patrono cælum aspiciat, quem illi maximè optaui. Is ipse es Societatis parens. Ergo cùm totus, vt cæteri nostri, tuus sim, mea alterius esse non debent. Hoc iure non facio audacter, sed officiosè illi dedico lucubrationes, qui de meo capite potest Christi vice quæcunque iudicarit statuere. Præterea si more huius æui nomen aliquod tutelare est appellandum, cur ego non Patrem potius quàm dominum salutabo? Tu igitur, pater, habe tuorum liberorum operas. Et quoniam non tam gentilitium est tibi cognomen, Aquauiua, quam re & virtute partum; age quæso, volens, ac propitius librum accipe, & rore fecundissimi fauoris tui vel leniter adsperge, id tantū, vt spero, satis erit nostris, & externis ad hāc interpretationem modò prodeuntē cum beneuolentia legendam. Vale.



LVDO-



LVDOVICI CRVCII OLYSIPPONENSIS SOCIETATIS IESV.

IN LIBRVM PSALMORVM INTERPETRATIONIS POETICAE LATINE

Liber primus.

PSALMVS PRIMVS.

1 *O Ter beatum, consiliantibus*
Qui non adhæret credulus impiis:
Non orbita vadit malorum
Nec cathedra sedet, vnde sanctos
2 *Rident profani. Condita legibus*
At iussa magni Numinis adspicit:
Quæ mente versat, solis orbem
Seu teneat rota, seu relinquat.
3 *Est ille ramis arbor vt aureis,*
Quam propter vndat fluminis alueus;
Suis daturam poma læto
Mitia temporibus colono.
4 *Illi perennat gratia frondium,*
Et poma certant annua floribus;
Quæ solis æstas non adurit,
Non glaciant hyemes niuosæ.

PSALMVS I,

1 BEatus vir, qui non abijt in consilio, impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.

2 Sed in lege Domini volũtas eius: & in lege eius meditabitur die, ac nocte.

3 Et erit tãquã lignũ, quod plantatũ est secus decursus aquarũ: quod fructum suũ dabit in tẽpore suo.

4 Et foliũ eius nõ defluet: & omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur.

5 *Res impiorum non ita promouent*
Flatus secundi; gluma sed areæ
Vt ventilatæ, iniurioso
Arbitrio rapiuntur auræ.
6 *Cùm iustus æquis lancibus Arbiter*
Appendet orbem; non erit impijs
Spes vlla causæ, non beata
Cælituum locus in corona.
7 *Est grata magno semita Principi*
Et mens piorum: Sed via lubricos
Infausta deuoluet profanos
In stygij fera iura regni.

5 Non sic impij, non sic
sed tanquã puluis, quem
proijcit ventus, à facie
terræ,
6 Ideo non resurgunt im-
pij in iudicio: neque
peccatores in cõsilio iu-
storum.
7 Quoniam nouit Domi-
nus uiam iustorũ, & iter
impiorum peribit.

PSALMVS. II.

1 *Quid trepidãt gẽtes? populi quid inania secũ,*
Vanis minantur efferi conatibus?
2 *Principibus iurant immisti fœdera reges,*
Deo Deique bella Christo vt inferant.
3 *Eia, viri, amborum rumpamus vincula, clamant,*
Et seruitutis colla soluamus iugo.
4 *Hanc, habitat cæli qui templa micantia, ridens*
Insanientem ludet impotentiam.
5 *Ipse timenda graui miseris Deus ore locutus*
Studia furore vana turbabit suo.
6 *Regem quippe meum sanctis ego collibus, inquit,*
Iussi sionis imperare; Gentium
Finibus vnde meas leges & fœdera dicet.
7 *Sic ora mecum soluit at rerum sator:*
Es mea progenies, genui te hoc lumine, patrem
8 *Hæreditatem posce me, gentes dabo.*
Et refluo dirimit qui limes ab æquore terras,
Tui ille fines imperij metabitur.
9 *In tumidos sceptro populos regnabis aheno,*
Durosque franges instar vr[illegible]ctilis.
10 *Ves regnare datum quibus est, & figere leges*
Vitæ atque mortis arbitras aduertite.
11 *Discite Iustitiam, reuereri assuescite Numen,*
Domini fouete cum timore gaudia. 12 Et

PSALMVS. II.
1 Quare fremuerunt
gentes, & populi
meditati sunt inania?.
2 Astiterunt reges terræ,
& principes cõuenerunt in
vnum: aduersus Dominũ, &
aduersus Christum eius.
3 Dirumpamus vincula e-
orum: & proijciamus à no-
bis iugum ipsorum.
4 Qui habitat in cœlis ir-
ridebit eos: & Dominus sub
sannabit eos.
5 Tunc loquetur ad eos in
ira sua, & in furore suo con
turbabit eos.
6 Ego autem constitutus
sũ rex ab eo super siõ mon-
tem Sanctum eius: prædi-
cans, præceptum eius.
7 Dominus dixit ad me:
Filius meus es tu: ego ho-
diè genui te.
8 Postula à me, & dabo ti-
bi gẽtes hæreditatem tuã:
& possessionem tuam ter-
minos terræ. 9 Reges eos in virga ferrea & tamqum vas figuli con-
fringes eos. 10 Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.
11 Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore:

12 *Et quem perpetuo regem signauit honore,*
Vltro aduolantes filium osculamini.
Forsitan irascens ne vos erroribus actos
13 *Pœnis fatiget. Pressa si remiserit*
Iræ lora parum; serò agnoscetis, in illo
Qui spem locarunt, esse felicissimos.

12 Apprehēdite disciplinā: nequādo irascatur Domin': & pereatis de uia iusta.
13 Cum exarserit in breui ira eius: beati omnes, qui confidunt in eo.

PSALM. III.

1 *MVlti cur Pater optime*
Hostes ārma fremunt hostibus additi?
Cur in perniciem meam
2 *Coniurant acies? Numinis, inquiunt,*
Nec spe fretus amabili
Durabit; nec opem sentiet ætheris.
3 *Per bellifera prælia*
Me saluum dederit cùm tua parmula:
Astris, ô mea Gloria,
Cùm tu flammiuomis hoc caput inseras:
4 *Me cùm rebus in asperis*
Orātem è superis montibus audias.
5 *Stratis molliter incubo,*
Dum nox alta volans sydera permeat.
Expers sollicitudinis,
Natum flamma diem cùm vaga prouehit.
Surgo; nam Deus excubat
6 *Hoc custode tremam non ego millia*
Gentis pallidus efferæ,
Coniurata meum fundere sanguinem.
Rex in præsidium mibi
7 *O æterne veni. Tu quatis hostium*
Malas insidiantium.
Tu pollente manu sæua gementium
Dentes conteris inuidos.
8 *O vitæ columen res tibi creditas*
Æternum populi tui
Æquo largus opum numine prospera.

PSAL. III.

1 DOmine quid multiplicati sūt, qui tribulant me? multi insurgūt aduersum me.
2 Multi dicūt animæ meæ: Nō est sal' ipsi in Deo eius.
3 Tu autē, Domine, susceptor me' es: gloria mea, & exaltans caput meum.
4 Voce mea ad Dominū clamaui: & exaudiuit me de monte Sancto suo.
5 Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi: quia Dominus suscepit me.
6 Nō timebo millia populi circundantis me: exurge Domine, saluum me fac, Deus meus.
7 Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorem contriuisti.
8 Domini est salus: & super populum suum benedictio tua.

PSALM. IV.

1 *TE Deus alme voco, responde ex athere, quādo*
Es testis innocentiæ.
Sæpeque me trepidum duxisti ô vltor, apertum
In æquor ex angustijs. Nund

PSAL. IV.

1 CVm inuocarem exaudiuit me De' iustitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.

2 *Nūc miserere mei, & precibus da supplicis aurē.*
3 *Quousque regni principes*
Viscera liuor edet? quid amatis inania? quorsum
Hæc fingitis mendacia?
4 *Extulit electum Deus, hoc agnoscite, Regem:*
Et inuocantem exaudiet.
5 *Formidate Deum, scelus exhorrescite: lecto*
Et ante somnos, redditi:
Arcanos animi sensus, & libera vestræ
Errata linguæ pendite.
6 *Pura mente sacris adolete altaria flammis;*
Tunc spem Deo committite.
Diuitijs inhiant multi: quis amabile nobis
Aurum rependet? inquiunt.
7 *Da tua signa meæ vitæ, sequar omnibus annis,*
Tuo coruscus lumine,
8 *AEuum lætus agam. Tum vini, frugis, oliui*
Sit diues alter horreis.
9 *Cùm mihi blanda tuæ concesseris ocia pacis,*
Noctem quietus dormio.
10 *Quippe meum fundas animum spe, & sede locatū*
Corroboras immobili.

2 Miserere mei: & exaudi
orationem meam
3 Filij hominum usquequo
graui corde? ut qd diligitis
vanitatē, & quæritis men-
dacium?.
4 Et scitote, quoniam mi-
rificauit Dominus Sāctum
suum: Dominus exaudiet
me, cum clamauero ad eū
5 Irascimini, & nolite pec-
care, quæ dicitis in cordib*
vestris, & in cubilibus vestris
compungimini
6 Sacrificate sacrificium iu
stitiæ, & sperate in Domi-
no: multi dicūt, quis osten-
dit nobis bona?.
7 Signatum est super nos
lumen vultus tui, Domine:
dedisti lætitiā ī corde meo.
8 A fructu frumenti, uini,
& olei sui: multiplicati sunt
9 In pace in idipsum: dor-
miā, & requiescam.
10 Quoniam tu, Domine,
singulariter in spe: consti-
tuisti me.

PSALM. V.

1 *DA facilē verbis Pater implorantib, aurem,*
2 *Accipe quæ meditor, quos tollo ad sidera questus*
3 *Rex idem, numenque mihi. Te supplice semper*
Mente colam, votisque petam: Nabatæa priusquā
Purpureis cælum radiis Aurora coloret.
4 *Supplex mane tuum veniens orare fauorem*
Sic loquar: Improbitas omnis tibi displicet: exlex
5 *Speret nemo tuis habitare penatibus hospes,*
Ante tuos oculos sontes astare tremiscunt.
6 *Odisti qui fraude nocent, mendacia fingunt,* 7 *Hu*

PSALMVS. V

1 VErba mea auribus
percipe, Domine:
intellige clamorem meum
2 Intende voci orationis
meæ: Rex meus, & De' me*
3 Quoniā ad te orabo Do-
mine; mane exaudies vocem meā. 4 Mane astabo tibi, & videbo; quoni
am non Deus volens iniquitatem tu es 5 Neque habitabit iuxta te mali
gnus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. 6 Odisti omnes
qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

7 *Humanum quæ feri gaudent haurire cruorem.*
Ipse a utē repetens quàm sis miserescere pronus,
8 *Alma tui veniam supplex ad limina Templi.*
Vt tibi sacra feram, te relligiosus adorem.
9 *Iustitiæ reclude viam, ne fraudibus hostes*
Decipiant, tua ponè legam vestigia ductus:
10 *Falsa tonant fictis mendaces oribus illi,*
Consilia exagitant fallacibus irrita curis,
11 *Guttur habent instar redolentis mortua busti,*
Blanditias soliti linguarum adflare veneno,
Ergo illos Deus exerce, iustisque fatiga
12 *Supplicijs, medijs olim conatibus ægri*
Deficiant, æquent pulsi commissa luendo:
Irritare tuum quando potuere furorem.
13 *Tempora agant læti quibus es fiducia, tollent,*
Illi te numeris dum sol radiauerit orbem,
At clypei tectos vmbra tutaberis illos.
14 *Felices nimium, seruant qui in pectore nomen*
Alme tuum, iustos etenim largissimus imples,
15 *Et bonitate pios scuti velut orbe coronas.*

7 Virum sanguinū, & dolosum abominabitur Dominus: Ego autèm in multitudine misericordiæ tuæ.
8 Introibo in domū tuam adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.
9 Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos: dirige in cōspecto tuo viam meam.
10 Quoniam non ēst in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.
11 Sepulcrū patēs est guttē eorum, linguis suis dolose agebāt: iudica illos Deus.
12 Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatū eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.
13 Et lætentur omnes qui sperant in te: in æternū exultabunt, & habitabis in eis.
14 Et gloriabuntur in te ōnes qui diligūt nomē tuū: quoniā tu benedices iusto.
15 Dñe vt scuto bonæ voluntatis tuæ: coronasti nos.

PSALM. VI.

1 *IRa dum reddit mihi te minacem;*
Carpe ne rerum Genitor merentem;
Neue dum iusto furor adflat æstu
Exige pœnas.
2 *At laborantis miserere tandem,*
Quem diu feruens agit ægritudo:
Redde me fractis medicus saluti
Ossibus ægrum.
3 *Mens adhuc curis magis ægra languet,*
Tune despectum penitus relinques;
An meo optatum statuis labori
Ponere finem?
4 *Quo soles vultu Pater ò redito,*
Eximes atro caput à sepulchro:
Facta ne vindex mea, te benignum
Parcere cerne.

5 *Quis*

PSALM. VI.

1 DOmine, ne ī furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.
2 Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sū: sana me, Domine, quoniā conturbata sunt ossa mea.
3 Et anima mea turbata est valde: sed tu Dñe vsquequo? 4 Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluū me fac propter misericordiā tuam.

Quo

5 *Quis tuæ laudis meminit sepultus?*
Te quis ad nigrum memorauit Orcum,
Nox vbi æternum patitur silendo
Frigida somnum?
6 *Nulla lamentis vacat hora solis,*
Fletibus totas ago noctis vmbras;
Et superiecto rigo lacrymarum
Flumine lectum.
7 *Fletus & mærens hebetauit angor*
Luminum vires, color inter hostes
vigor *Et vigo læta posuere rugis*
Frontis honorem.
8 *Vos, quibus fraus est iocus, & voluptas*
Ite; spe vana cecidistis: aure
Nam meos questus Dominus recepit
At quus amica.
9 *Annuit vultu precibus sereno,*
10 *Audijt lenis mea, vota, cessas*
Turba confuso variare turpes
Ore colores?
Tingat hostilis pudor ora turbæ:
Corda dissoluat pauor: Fia votis
Irriti, mæstos agite in remotis
Sedibus annos.

PSALM. VII.

1 *TE rector orbis spem salutis vnicam*
Periclitantis inuoco.
A factione redde persequentium,
Potentiore sospitem.
2 *Leonis instar efferi ne deuoret*
Hostis carentem vindice.
3 *Mentem manusque labe si piaculi*
Contagiosa pollui:
4 *Si damna damnis reddidi, spe decidam*
Priuatus omni gloria.
5 *Fugiens, ab hoste persequente retrahar,*
Mactatus ense corruam:
Mecum insepulto funeretur inclyti
Quæcunque laus est nominis. 6 *At*

5 Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?
6 Laboraui ingemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meũ: lacrymis meis stratum meum rigabo.
7 Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.
8 Discedite à me õnes, qui operamini iniquitaté: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.
9 Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationẽ meã suscepit.
10 Erubescant, & conturbentur vehementer õnes inimici mei: cõuertãtur, & erubescãt valde velociter.

PSALM. VII.

1 DOmine De' meus, in te speraui: saluũ me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.
2 Ne quãdo rapiat, vt leo animam meã: dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat
3 Domine Deus meus, si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.
4 Si reddidi retribuẽtibus mihi mala: decidã merito ab inimicis meis inanis.
5 Persequatur inimic' animam meam, & cõprehendat, & conculcet in terrauitã meã: & gloriã meã in puluerem deducat.

6 Ex

6 *At vltor ira surge plenus, fulmina:*
Inuade fines hostium.
7 *Cordi esse legem, quam tulisti, vt asseras*
Exurge: nam minoribus
Iniuriosos imperas à publica
Authoritate corripi.
Si me tueris te corona gentium
Plaudientium circundabit.
8 *Defensor æqui iuris innocentiæ*
Ab omnibus vocabere.
Hanc surge propter gloriam sublimior,
Qui iura dis mortalibus.
9 *Agnosce causam iudica: vide meam*
Quæsitor innocentiam.
10 *Vanescet hominis tam scelesti iniquitas:*
Iusti vigebit æquitas.
Scrutatur etenim perspicax mentem Deus,
Introspicit præcordia.
11 *Illud hinc salutis habeo præsidium meæ,*
Nam corde puros liberat.
12 *At vos scelesta turba, cunctantis mora*
Ne Numinis fallamini.
Vt æqui amicos sospitat: sic tempore
Suo fatigat improbos.
13 *Nisi frena mentis obstinatæ vertitis*
Iam stringit ensem flammeum.
14 *Iam tendit arcum: tela mittet ignea:*
Vrentur illis saucij.
15 *Tu qui nefanda parturis, doloribus*
Exæstuas dum concipis.
Partumque tandem fundis, instar fabulæ
Quam fingit vmbra somnij.
16 *Scrobe deuorare qua parabas alterum,*
Hac deuoratus occidis
17 *Fraus in parentem redijt, authoris sui*
Ruina pressit verticem.
18 *Erit ergo carmen Æquitas Dei mihi,*
Eiusque nomen inclytum. *Nos*

6 Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.
7 Et exurge Dñe Deus meus, in præcepto, quod mandasti; & synagoga populorum circundabit te.
8 Et propter hanc in altú regredere: Dominus iudicat populos.
9 Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam: & secundum innocentiã meam super me:
10 Consumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum: scrutans corda, & renes Deus.
11 Iustum adiutoriũ meum à Domino, qui saluos facit rectos corde.
12 Deus iudex iustus, fortis, & patiens: nũquid irascitur per singulos dies.
13 Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit; arcum suum tetendit, & parauit illum.
14 Et in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.
15 Ecce parturit iniustiã, concepit dolorem: & peperit iniquitatem.
16 Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.
17 Conuertetur dolor eius in caput eius: & in uerticem ipsius iniquitas eius descendet. 18 Confitebor Domino secundum iustitiam eius: & psallam nomini Domini altissimi,

PSAL-

PSALM. VIII.

1 NOster humanæ Imperator
Gentis ô clarissime
Quàm tuum nomen per omnes
Orbis oras funditur.
2 Elegantior decore
Astra cæli præteris.
3 Muta soluis ora laudes
In tuas infantiæ;
Cuius acclamatione
Victor hostes eruis.
4 Hoc tuæ video cælum
Arte factum dexteræ:
Orbe lunam nunc rotundam,
Nunc acutam cornibus:
Flammeas stellas in ipso
Conspicabor æthere.
5 Tunc, Quid est homo? rogabo:
Cuius es non immemor.
Exulis quid est Adami
Stirps, vt illam visites?
6 Condidisti si minorem
Angelorum cœtibus:
Inclytum tamen creasti
Mente, forma, gloria.
Quicquid est tui peractum
Roboris potentiâ,
Te volente te iubente
Est sub illo principe.
7 Cuncta quæ meantis auræ
Viua potant spiritum,
Eius ipse collocasti
Sub pedum vestigijs
Huic boues, ouesque parent,
Huic agrorum belluæ.
8 Huic volucres, ac ruentes
Lata pisces æquora.
9 Noster humanæ Imperator
Gentis ô clarissime
Quàm tuum nomen per omnes
Orbis oras funditur.

PSALM. VIII.

1 DOmine Dominus
noster:quam admi
rabile est nomen tuum in
vniuersa terra?
2 Quoniã eleuata est ma-
gnificẽtia tua: super cælos.
3 Ex ore infantium, & lac
tentium perfecisti laudem
propter inimicos tuos: ut
destruas inimicum, & vlto-
rem.
4 Quoniam videbo cælos
tuos, opera digitorũ tuo-
rum: lunam, & stellas, quæ
tu fundasti.
5 Quid est homo, quod me
mor es eius? aut filius homi
nis, quoniam visitas eum?
6 Minuisti eum paulo mi-
nus ab Angelis: gloria, &
honore coronasti eum, &
constituisti eum super ope-
ra manuum tuarum.
7 Omnia subiecisti sub pe
dibus eius: oues, & boues
vniuersas: insuper, & peco-
ra campi.
8 Volucres cœli, & pisces
maris: qui perambulant se-
mitas maris.
9 Domine Dominus noster
quam admirabile est nomẽ
tuum in vniuersa terra?



PSAL.

PSALM IX.

1 *Te cithara, te voce canam, tua mēte reuoluā*
Facta, Parens, tibi lætitia perfusus in auras
2 *Efferar, & citharas numeris vocalibus addam*
3 *In nomen rex alme tuum. Ruit hostis ab ore*
Namque tuo fugiens, animamque efflauit eundo.
4 *Æquus enim iudex partes aduersus iniquas,*
Ipse mihi afflictæ dirimis certamina causæ.
5 *Gentibus increpitans clausisti immanibus ora.*
Impietate reos damnasti, nomina quorum
Fecisti æternum secreta minoribus esse.
6 *Hostis amare tuo finem Deus attulit ensi,*
Et tua prostratis iam diruet oppida muris.
7 *Illa cadent magno radicitus eruta motu*
Teque simul tacitæ condent obliuia famæ.
Ipse autē Dominus manet, æternumque manebit
8 *Iamque sibi solium componit vt arbiter orbem*
Temperet, & populos examine iudicet æquo
9 *Præsidium miseris aderit statioque, furentes*
Tempestas rerum cum soluerit aspera ventos.
10 *Ergo, Parens, duri sperent te in rebus amicum*
Qui nomen nouere tuum. Non sorte relinquis
In grauiore pios, qui te & tua iussa requirunt.
11 *Dicite vos dominum qui numine tecta Sionis*
Alma tenet, populis externa per oppida ferte
12 *Consilia, euentis nunquam caritura secundis*
Cæde vaporantes insonte vlciscitur enses,
Et dare pauperibus non obliuiscitur aurem
13 *Alme precor, miserere: meas ò respice curas*
14 *Hostilisque minas odij: Ne regia lethi*
Efficce me piceis includat ahenea portis.
Ipse tuas repetā Solymæá per atria laudes 15 *Au*

PSALM. IX.

1 Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.
2 Lætabor, & exultabo in te: Psallam nomini tuo, altissime.
3 In conuertendo inimicum meum retrorsum: īfirmabuntur, & peribunt à facie tua.
4 Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam: sedisti super trhonū qui iudicas iustitiam.
5 Increpasti gentes, & periit impius: nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi.
6 Inimici defecerunt frameæ ī finem: & ciuitates eorum destruxisti.
7 Perijt memoria eorū cū sonitu. Et Dominus in æternum permanet.
8 Parauit in iudicio thronum suum: & ipse iudicabit orbē terræ, in æquitate, iudicabit populos in iustitia
9 Et factus est Domin' refugium pauperi: adiutor
in opportunitatibus, in tribulatione. 10 Et sperent in te, qui nouerūt no-
men tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. 11 Psallite
Domino, qui habitat in Sion: annunciate inter gentes studia eius 12 Quo
niam requirens sanguinem eorum recordatu sest: non est oblitus clamo-
rem pauperum. 13 Miserere mei, Domine: vide humilitatem meam de
inimicis meis. 14 Qui exaltas me de portis mortis: ut annunciem om-
nes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

15 *Autoremque meæ dicent caua nablia vitæ.*
Quem fecere lacum gentes adiere malignæ:
16 *Retia ponentes nodati in retibus hærent.*
17 *Scilicet hanc legem statuit vindicta Parentis*
Admiranda, suis fallantur vt artibus artes:
Et laquei proprijs vt inuentoribus obsint.
18 *Impietas ergo teneat regna inuia soli*
Et secura Dei gentes quæ obliuia potant.
19 *Integritas autem nec tristibus occubet vmbris,*
Spes inopum seros nec lugeat obruta fines.
20 *Surge, parens, ne quis rerum successibus auctus*
Erigat in tenues elato cornua vultu.
21 *Iuraque regnator da gentibus æqua superbis,*
Adde metum freno quoniam formidinis actæ
Aspicient Numen maioribus esse timendum,
Vlturum in timidos quæ patrauere minores.

PSALM. X.
secundum Hebr.

1 *Cvr procul alme Parens abijsse videbere, quando*
Atrox procella temporum iustos agit?
2 *Impius euehitur dum fastu elatus inani,*
Pium superba calcat impotentia.
In caput ò vtinam recidant inuenta malorum,
Et cogitatis occidant furoribus.
3 *Se leuat in cælum, temerata nefarius explet*
Libidinosi quando vota pectoris.
4 *Applaudunt scurræ linguis, animosior inde*
Suis lacessit astra contumelijs;
5 *Ergo furens animi, posita formidine, cæli*
Vltoris iram regis obliuiscitur.
Quà vocat improbitas, illà scelus occupat omne,
Seu nox oberrat, siue sol regit diem.
6 *Non subit interea quibus illum excindere poenis*
Statuit seueri læsa maiestas Dei.
Aut animi plenus dominũ se fingit in hostes. 7 Au

15 Exultabo ĩ salutari tuo infixæ sunt gẽtes in inte ritu, quem fecerunt.
16 In laqueo isto, quem absconderunt: compre-hensus est pes eorum.
17 Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum cõprehẽsus est peccator.
18 Conuertantur peccatores in infernũ: omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum.
19 Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: pa tientia pauperum non peribit in finem.
20 Exurge Domine, non confortetur homo: iudi centur gentes in cõspectu tuo.
21 Constitue, Domine, legislatorem super eos: ut sciant gentes, quoniam homines sunt.

PSALM. X.
secundum Hebr.

1 VT quid, Domine, recessisti longe: despicis in opportunitati bus, in tribulatione.
2 Dum superbit impius, incenditur pauper: cõprehenduntur in consilijs, quibus cogitant.

3 Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ: & iniquus benedicitur 4 Exacerbauit Dominum peccator: secundum multitudinem iræ suæ non quæret. 5 Non est Deus in cospectu eius: inquinatæ sunt uiæ illius in omni tempore. 6 Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum suorum dominabitur. 7 Dixit

7 *Aut hæc inani voluit impudentia;*
Ibit inoffenso pede vita, nouissima donec
Meum coronet verticem felicitas.
8 *Fraudes ore vomit promptus maledicere, lingua*
Bonis dolores, & labores parturit.
9 *Collocat insidias circa ferus atria ditum,*
Inde vt cruorem spargat innocentium.
10 *Hinc inopem toruo venientem lumine seruat;*
Respicit ab antro sæuus vt prædam leo.
11 *Innocuis ergo latet imprudentibus hostis,*
Vt implicatos retibus trahat suis.
12 *Quos vbi despexit luctari in cassibus, exit,*
Superque, toto pectore incumbens, cadit
His vbi non meritos affecit cladibus, arte
Immanitatem celat implacabilem,
13 *Tum secum hæc memorat, Deus obliuiscitur orbem,*
Et vt ferantur res, videre negligit.
14 *Surge, manum radijs attolle minacibus vltor,*
Ne te piorum cœperint obliuia.
15 *Cur impune tuus secum meditabitur hostis,*
Non esse curæ res tibi mortalium?
16 *At bonus innocui miseranda incommoda cernis*
ET quo dolore torqueantur adspicis
Indignata vides vt sæuiat ira tyranni,
Quem puniendum dexteræ trades tuæ.
17 *Sunt inopes, & erunt tua cura parentibus orbam*
Tutor gubernas ipse solitudinem
18 *Vires frange; pios adeo quibus impius vrget,*
Vt, non reperias quem secundò punias,
19 *Omnia rex hominum dominabere tempora, quamuis*
Ex orbe semen impium fugaueris.
20 *Hæc sunt alme Parens audi pia vota bonorũ:*
Hæc mista lacrymis pectorum suspiria.

7 Dixit enim in corde suo: Non mouebor à generatione in generationem, sine malo.
8 Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo: sub lingua eius labor, & dolor.
9 Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis vt interficiat innocentem.
10 Oculi eius in pauperẽ respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.
11 Insidiatur, vt rapiat pauperẽ, rapere pauperẽ dũ attrahit eum.
12 In laqueo suo humiliabit eum: inclinabit se, & cadet, cum dominatus fue-
13 rit pauperum.
Dixit enim in corde suo oblit' est De': auertit faciẽ suã, ne videat in finem
14 Exurge Domine Deus, & exaltetur manus tua: ne obliuiscaris pauperũ.
15 Propter quid irritauit impius Deũ? dixit enim ĩ corde suo, Nõ requiret.
16 Vides, quoniam tu laborem, & dolorem consideras: vt tradas eos in manus tuas. 17 Tibi derelictus est pauper: orpha-

21 Pupil-

no tu eris adiutor. 18 Contere brachium peccatoris, & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur. 19 Dominus regnabit in æternum, & in seculum seculi: peribitis gentes de terra illius. 20 Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

21 *Pupillum tenuemque velis defendere, surgat.*
Animis tyrannus ne quis insolentior:
Et validis fidens opibus calcare minores
Audeat eodem fictus è terræ luto.

PSALM. X.
Hebr. XI.

1 *DVm Domino fidam, quid dicitis, Alite pēna*
Instar auis timidæ per iuga summa fuge?
Impius intendat calamis lethalibus arcum,
Et velit occulta cæde necare pios.
3 *Quid meruere boni, si fundamenta ruerunt*
Prauorum instabili non benè fulta manu.
4 *Sancta coruscantis vindex habet atria templi,*
Inde toro residens omnia facta videt.
5 *Per varias hominum circumfert lumina curas,*
Lumina secretum præteritura nihil.
6 *Approbat, insontes peragunt quæcunque labores;*
Omne sed auerso despicit ore nefas.
7 *Quin super exleges tortum iaculabitur ignem,*
Mistaque sulphurea retia nube pluet:
Addet agens hyemes. Hæc pharmaca diluet auris
Impie lethæo vase bibenda tibi.
8 *Iustitiam Dominus rerum quia diligit, omnes*
Pectore qui casto recta sequuntur, amat.

PSALMVS. XI.
Hebr XII

1 *O Rector esto præsidium mihi,*
Nam fugit orbem territa sanctitas:
Fidesque mutauit remoto
Exilio temerata gentes.
2 *Mendosa narrant quisque sodalibus*
Verbis amicant dulcibus alterum:
Sed corde prauas fraudulento,
Vt noceant, meditantur artes.

3 *Ofra-*

21 Iudicare pupillo, & humili: vt non apponat ultra magnificare se homo super terram.

PSALMVS. X.
Hebr. XI.

1 IN Domino confido
quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in
montem, sicut passer?
2 Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum
parauerunt sagittas suas
in pharetra ut sagittēt in
obscuro rectos corde.
3 Quoniam quæ perfecisti,
destruxerunt: iustus autē
quid fecit?
4 Dominus in templo sancto suo: Dominus in cælo
sedes eius.
5 Oculi eius in pauperem
respiciunt: palpebræ eius
interrogāt filios hominū.
6 Dominus interrogat iustum, & impium: qui autem diligit iniquitatē, odit animam suam.
7 Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur,&
spiritus procellarū: pars
calicis eorum.
8 Quoniam iust' Dominus,
& iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

PSALM. XI
Hebr. XII.

1 SAluum me fac, Domine, qm̄ defecit sāctus: quoniam diminutæ sunt
veritates a filijs hominum. 2 Vana locuti sunt vnusquisque ad
proximum suum: labia dolosa, in corde, & corde locuti sunt

3 Dis

3 *O frangat, orbem qui regit arbiter*
Fucata blandis ora coloribus:
Doctam recidat magna linguam
Intrepidis resonare dictis.
4 *Audent superbi talia proloqui,*
Verbis agamus cuncta licentius:
Nam nostra habenis e equis ora
Aut hominum premit aut Deorum?
5 *Aduertit aurem sed querimonijs*
Numen bonorum sæua gementium:
Dixitque surgam, ne cathenas
Sub tumido patiantur hoste.
Quin liberatos sedibus in ferum,
Impunè cernent vnde pericula:
Rerumque motus, & frementes
Sub pedibus voluitare curas.
6 *Promissa ducit semper in exitum*
Syncera, tanquam fusile septimo
Aurum camino quod recoctum
Dissimili sine fæce lucet.
7 *Nos efferatæ gentis ab impetu*
Regnator olim magne tueberis:
Nos à malorum stirpe saluos
Perpetuum statues in æuum.
8 *Rerum potestas cum datur improbis*
(Scis alme) versant cuncta volubiles;
Terræque proles in bonorum
Asperior sobolem tumescit.

PSALM. XII
Hebr. XIII.

1 *QVo Pater vsque mei capient te obliuia? semper*
Ora teges, oculis non retegenda meis?
2 *Consilijs animum quo tristibus vsque fatigo?*
Flebile quo pectus desinet esse die?
3 *Quò ferus vsque suos de me canet hostis honores?*
Verte precor vultus ad mea verba tuos.
4 *Hos radiis oculos tandem vitalibus adfla,*
Sopiti stygijs ne moriantur aquis.
Ne meus inualui pleno canat æmulus ore; 5 *Nã*

3 Disperdat Dominus õnia
labia dolosa: & linguam
magniloquam.
4 Qui dixerunt: Linguam
nostram magnificabimus
labia nostra à nobis sunt
quis noster Dominus est,
5 Propter miseriã inopum?
& gemitum pauperum
nũc exurgam dicit Dominus:
ponam in salutari,
fiducialiter agam in eo.
6 Eloquia Domini, eloquia
casta: argentum igne exa
minatum probatum terræ,
purga ũ septuplum
7 Tu Domine seruabis nos
& custodies nos à generatione
hac in æternum.
8 In circuitu impij ambulant:
secundum altitudinem
tuam multiplicasti filios
hominum.

PSALM. XII.
Hebr .XIII.

1 VSquequo, Domine
obliuisceris me in
finem? usquequo auertis
faciem tuam à me?
2 Quandiu ponam consilia
in anima mea dolorem in
corde meo per diem?
3 Vsquequo exaltabitur inimicus
meus super me?
respice, & exaudi me Domine
Deus meus,
4 Illumina oculos meos ne
vnquam obdormiam in
morte: nequando dicat

inimicus meus, præualui aduersus eum.

5 Qui

5 *Namque meis alacer casibus hostis erit.*
Spes ego quas habeo, te solo in præside figo,
6 *Alma salus veniat numine missa tuo.*
Tum secura meis accedent gaudia rebus
Teque tuumque meo nomen in ore feram.

5 Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero: Ego autem in misericordia tua speraui.
6 Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.

PSALM. XIII. Hebr. XIV.

1 *IMpietas, addens calcaria cæca furori,*
Sibi dixit orbem qui regat, non est Deus
2 *Tolluit hinc hominum contagio lurida mores,*
Nemine sequente veritatis orbitam.
3 *In terras oculos Deus æthere misit ab alto,*
Facta vt videret omnium mortalium.
Esset an ex hominum tot saltem millibus vnus,
Qui corde numen purior requireret.
4 *A recto in prauas gens declinauerat artes*
Humana, cælo facta detestabilis.
Omnibus vnus erat furor in contraria veri,
Nam fas pudorque continebat neminem.
8 *Fas colerent illi, sceleri qui vela dederunt,*
Plebem vorantes vt suos cibos meam?
9 *Quin etiam viuunt securi vindicis æuum:*
Nullo inuocantes numen in periculo
At gelido victi ponent horrore tumores,
Cùm res timorem nulla iustis afferet.
10 *Qui fouet insontes, hæc dicet sontibus olim,*
Studia vocastis pauperum ludibria?
Spes erat, & constans validæ fiducia mentis,
Deus secundo quam beabit exitu
11 *Quis dabit aerea missam de rupe Sionis,*
Opem vocatis Isaci nepotibus?
Cùm Deus in patrias profugos reuocauerit vrbes,
Tunc Abrahamo nata gens lætabitur.

PSALM. XIII. Hebr. XIV.

1 DIxit insipiens in corde suo: Non est De⁹
2 Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis: nō est, qui faciat, bonū, nō est vsque ad vnū
3 Domin⁹ de cælo prospexit super filios hominum: vt videat si est intelligens, aut requirens Deum.
4 Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sūt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad unum.
5 Sepulchrum patēs est guttur eorū, linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labijs eorum
6 Quorū os maledictione, & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem 7 Contritio, & infelicitas in uijs eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum 8 Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem meam sicut escam panis? 9 Dominum non inuocauerūt illic trepidauerūt a timore, vbi nō erat timor. 10 Quoniam Dominus in generatione iusta est, consilium inopis confudistis: quoniam Domin⁹ spes ei⁹ est. 11 Quis dabit ex sion salutare Israel? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel.

PSALM. XIV.
Hebr. XV.

1 O Sator rerum quis amœna tecum
Aetheris felix habitabit arua?
Quem fines almi tua feriari
Per iuga montis?
2 *Integrum vitæ sceleris que purum,*
3 *Iuris, & veri cupidum; veneno*
Nescium blando medicare ficta
Spicula linguæ.
4 *Damna moliri socijs, amicos*
Turpium dictis maculare rerum;
Casta quis puræ temerare fugit,
Nomina famæ.
5 *Impios ducens nihilo minores,*
Qui vehit iustos super astra laude,
6 *Vera iurati stabilire certus*
Fœdera pacti.
Non dedit nummos repetendo lucra;
Non vt insontem spoliaret auro
Cessit, inuictus stetit imò contra
Munera iudex.
7 *Quisquis hæc felix animi peregit,*
Euolat penna metuente solui:
Redditum cælo canet at sequentes
Fama per annos.

PSALM. XV.
Hebr. XVI.

1 I Ncolumem seruet tua me custodia, quando
Alme Parens animo spes ades vna meo.
2 *Vnum te soleo sanctum mihi dicere numen:*
Et mea contestor non opus esse tibi.
3 *In sanctos ideo votis feror omnibus illos*
Quos non pœnituit sorte vocasse tuos.
4 *O genus ingratum, gens o obnoxia poenis*
Fingere de cesis rupibus ausa Deos.

5 Non

PSALM. XIV.
Heb. XV.

1 DOmine quis habitabit in tabernaculo
tuo? aut quis requiescet
in monte sancto tuo?
2 Qui ingreditur sine macu
la: & operatur iustitiam.
3 Qui loquitur veritatẽ in
corde suo: qui nõ egit do
lum in lingua sua.
4 Nec fecit ꝓximo suo malum: & opprobrium non
accepit aduersus proximos suos.
5 Ad nihilum deduct'est in
cospectu eius malignus: ti
mentes autem Dominum
glorificat.
6 Qui iurat proximo suo, &
nõ decipit, qui pecuniam
suam non dedit ad usurã
& munera super innocentem non accepit.
7 Qui facit hæc: non mouebitur in æternum.

PSALM. XV.
Hebr. XVI.

1 COnserua me, Domine: quoniam speraui in te.
2 Dixi Domino, Deus me'
es tu: quoniam bonorum
meorum non eges.
3 Sanctis, qui sunt in terra
eius: mirificauit omnes
voluntates meas in eis.
4 Multiplicatæ sunt infirmi
tates eorum: postea acce
lerauerunt.

1 Non

5 *Non ego pollutis horum me altaribus addam,*
Accendunt vitula quando tepente rogos
Non inuenta loquar, Diis nomina talibus vnquã
Nec facient dictis fœderibusque fidem.
6 *Ritè colam Dominum nostræ patrimonia sortis,*
Qui socium pateræ me facit esse suæ,
Rem mihi componet, populúmque tuebitur idem
Cui vertenda dedit fertilis arua soli.
7 *O sors, ò regio cultis vberrima fundis,*
Prouentu agricolas quàm beat vna suos.
8 *Te dicam Genitor, video quo vera magistro;*
Quo perago noctem, quo monitore diem.
9 *Namqua soles dextrum sẽper mihi numen adesse,*
Res ferat impulsas ne qua ruina meas.
10 *Gaudia quàm recreant hoc exultantia pectus,*
Linguaque per laudes quàm cupit ire tuas
11 *Spero equidem stygiis animam nec sedibus addes*
In cineres verti nec mea membra sines.
12 *Immo viam pandes qua rursus in æthera surgam*
Inque meos fundes gaudia mille sinus.
Et manibus sparges ingentia munera plenis
Temporis æternas præteritura moras.

PSALM. *XVI.*

Hebr. XVII.

1 *SI iusta posco, lenis aurem Conditor*
Blandam querelis applica.
2 *Fuco malignæ fraudis ora callido*
Non te precantur illita
3 *Qui cernis oculis æqua perspicacibus,*
Quo iure sum pronuncia.
4 *Per noctis vmbram sæpe tentastis meis*
Quid esset in præcordiis.
Examinasti facibus, inuentum nihil
In ore menti dissonum. 5 *Vi*

5 Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominũ eorũ per labia mea:
6 Domin⁹ pars hæreditatis meæ,& calicis mei: tu es, qui restitues hęreditatẽ meam mihi.
7 Funes ceciderũt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.
8 Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectũ: insuper, & vsque ad noctẽ icrepuerũt me renes mei
9 Prouidebam Dominũ in conspectu meo sẽper: quõ à dextris est mihi, ne cõmouear.
10 Propter hoc lætatum est cor meum,& exultauit lingua mea: in super,& caro mea requiescet in spe.
11 Quoniam non de relinques animam meam in inferno: nec dabis sanctũ tuũ videre corruptionẽ.
12 Notas mihi fecisti vias vitæ; adimplebis me lætitia cum uultu tuo:delectationes in dextera tua usq; in finem.

PSALM. XVI.
Hebr. XVII.

1 EXaudi, Domine, iustitiam meam: intende deprecationem meam.
2 Auribus percipe orationem meam: non in labiis dolosis. 3 De
vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates. 4 Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.

5 Vt

5 *Vidi malorum facta, legum scilicet*
Memor tuarum, lubricas
At quas terebant orbitas exhorrui,
Ne par sequendo euaderem.
6 *Hac mente gressus per tuas vias rege.*
Lapsu pedum ne corruam,
7 *Audi inuocantem, mitis aure supplicis*
Questus amica suscipe.
8 *Bonos tuendo redde te mirabilem*
Spes vna te colentium.
9 *At præpotenti dexteræ obsistentibus*
Ostende formidabilem.
Pupilla quali luminum custodia
Seruatur intuentium:
10 *Hac me tuere. Sub tuis fugiant graues*
Alis timores hostium.
11 *Vallant obesi me phalange corporum*
Formidolosa pinguium,
12 *Tonant superba fastuosi, callibus*
Rotant euntem, retia
13 *Locis adaptant, & leonis impetunt*
De More, vel leunculi.
Quem prima ab antro mittit in prædam fames
14 *Exurge, vim tyrannidis*
Prior anteuerte, sterne vindex impium:
Et hunc ab illo spiritum
Defende, gladium de manu extorque tuum
Quem nunc inulta fulminat.
15 *Dextris eorum vindica mortalium*
Caduca quos spes allicit.
Qui se beatos rentur, vncto fercula
Si lauta ventri sufficis.
Penumq; terræ pandis, vnde prodiga
Felicitate exuberent.

16 Diu

5 Vt non loquatur os me
um opera hominũ: prop
ter verba labiorum tuo-
rum ego custodiui vias
duras.
6 Perfice gressus meos in
semitis tuis: ut non mo-
ueantur vestigia mea.
7 Ego clamaui quoniam
exaudisti me, Deus: in-
clina aurem tuam mihi,
& exaudi verba mea.
8 Mirifica misericordias
tuas, qui saluos facis spe-
rantes in te.
9 A resistentibus dexte-
ræ tuæ: custodi me vt pu-
pillam oculi.
10 Sub vmbra alarum tua-
rum protege me: à facie
impiorum, qui me affli-
xerunt.
11 Inimici mei animam
meam circũdederunt: a-
dipem suũ concluserunt,
os eorum locutum est su
perbiam.
12 Proijcientes me, nunc
circundederũt me: ocu
los suos statuerunt decli
nare in terram.
13 Susceperunt me, sicut
leo paratus ad prædam
& sicut catulus leonis ha
bitans in abditis.

14 Exurge, Domine, præueni eum, & supplanta eum: eripe animã meam
ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ. 15 Domine à pau-
cis de terra diuide eos in vita eorum de absconditis terræ adimpletus est
venter eorum.

2 *Nūc miserere mei, & precibus da supplicis aurē.*
3 *Quousque regni principes*
Viscera liuor edet? quid amatis inania? quorsum
Hæc fingitis mendacia?
4 *Extulit electum Deus, hoc agnoscite, Regem:*
Et inuocantem exaudiet.
5 *Formidate Deum, scelus exhorrescite: lecto*
Et ante somnos, redditi:
Arcanos animi sensus, & libera vestræ
Errata linguæ pendite.
6 *Pura mente sacris adolete altaria flammis;*
Tunc spem Deo committite.
Diuitijs inhiant multi: quis amabile nobis
Aurum rependet? inquiunt.
7 *Da tua signa meæ vitæ, sequar omnibus annis,*
Tuo coruscus lumine,
8 *Æuum lætus agam. Tum vini, frugis, oliui*
Sit diues alter horreis.
9 *Cùm mihi blanda tuæ concesseris ocia pacis,*
Noctem quietus dormio.
10 *Quippe meum fundas animum spe, & sede locatū*
Corroboras immobili.

PSALM. V.

1 *DA facilē verbis Pater implorantib, aurem,*
2 *Accipe quæ meditor, quos tollo ad sidera questus*
3 *Rex idem, numenque mihi. Te supplice semper*
Mente colam, votisque petam: Nabatæa priusquā
Purpureis cælum radiis Aurora coloret.
4 *Supplex mane tuum veniens orare fauorem*
Sic loquar: Improbitas omnis tibi displicet: exlex
5 *Speret nemo tuis habitare penatibus hospes,*
Ante tuos oculos sontes astare tremiscunt.
6 *Odisti qui fraude nocent, mendacia fingunt,* 7 *Hu*

2 Miserere mei: & exaudi orationem meam
3 Filij hominum usquequo graui corde? ut q̄d diligitis vanitatē, & quæritis mendacium?.
4 Et scitote, quoniam mirificauit Dominus Sāctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eū
5 Irascimini,& nolite peccare, quæ dicitis in cordib' vestris,& in cubilibus vestris compungimini
6 Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino: multi dicūt, quis ostendit nobis bona?.
7 Signatum est super nos lumen vultus tui,Domine: dedisti lætitiā ī corde meo.
8 A fructu frumenti, uini, & olei sui: multiplicati sunt
9 In pace in idipsum: dormiā, & requiescam.
10 Quoniam tu, Domine, singulariter in spe: constituisti me.

PSALMVS. V

1 VErbamea auribus percipe, Domine: intellige clamorem meum
2 Intende voci orationis meæ: Rex meus,& De' me'
3 Quoniā ad te orabo Domine; mane exaudies vocem meā. 4 Mane astabo tibi, & videbo; quoniam non Deus volens iniquitatem tu es 5 Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. 6 Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

7 Vi

7 *Humanum que feri gaudent haurire cruorem.*
Ipse a utē repetens quàm sis miserescere pronus,
8 *Alma tui veniam supplex ad limina Templi.*
Vt tibi sacra feram, te relligiosus adorem.
9 *Iustitiæ reclude viam, ne fraudibus hostes*
Decipiant, tua ponè legam vestigia ductus:
10 *Falsa tonant fictis mendaces oribus illi,*
Consilia exagitant fallacibus irrita curis,
11 *Guttur habent instar redolentis mortua busti,*
Blanditias soliti linguarum adflare veneno,
Ergo illos Deus exerce, iustisque fatiga
12 *Supplicijs, medijs olim conatibus ægri*
Deficiant, æquent pulsi commissa luendo:
Irritare tuum quando potuere furorem.
13 *Tempora agant læti quibus es fiducia, tollent,*
Illi te numeris dum sol radiauerit orbem,
At clypei tectos vmbra tutaberis illos.
14 *Felices nimium, seruant qui in pectore nomen*
Alme tuum, iustos etenim largissimus imples,
15 *Et bonitate pios scuti velut orbe coronas.*

PSALM. VI.

1 *IRa dum reddit mihi te minacem;*
Carpe ne rerum Genitor merentem;
Neue dum iusto furor adflat æstu
Exige pœnas.
2 *At laborantis miserere tandem,*
Quem diu feruens agit ægritudo:
Redde me fractis medicus saluti
Ossibus ægrum.
3 *Mens adhuc curis magis ægra languet,*
Tune despectum penitus relinques;
An meo optatum statuis labori
Ponere finem?
4 *Quo soles vultu Pater ò redito,*
Eximes atro caput à sepulchro:
Facta ne vindex mea, te benignum
Parcere cerne.

5 *Quis*

7 Virum sanguinū, & do-
losum abominabitur Domi
nus: Ego autèm in multitu-
dine misericordiæ tuæ.
8 Introibo in domū tuam
adorabo ad templum san-
ctum tuum in timore tuo.
9 Domine deduc me in iu-
stitia tua propter inimi-
cos meos: dirige in cospec-
to tuo viam meam.
10 Quoniam non est in ore
eorum veritas: cor eorum
vanum est.
11 Sepulcrū patēs est gutt
eorum, linguis suis dolose
agebāt: iudica illos Deus.
12 Decidant a cogitationi-
bus suis, secundum multi-
tudinem impietatū eorum
expelle eos, quoniam irri-
tauerunt te Domine.
13 Et lætentur omnes qui
sperant in te: in æternū exul
tabunt, & habitabis in eis.
14 Et gloriabuntur in te
ōnes qui diligūt nomē tuū:
quoniā tu benedices iusto.
15 Dn̄e vt scuto bonæ volun
tatis tuæ: coronasti nos.

PSALM. VI.

1 DOmine, ne ī furore
tuo arguas me: ne-
que in ira tua corripias me.
2 Miserere mei, Domine,
quoniam infirmus sū: sana-
me, Domine, quoniā con-
turbata sunt ossa mea.
3 Et anima mea turbata
est valde: sed tu Dn̄e vsquequo? 4 Conuertere Domine, & eripe animam
meam: saluū me fac propter misericordiā tuam. Quo

5 *Quis tuæ laudis meminit sepultus?*
Te quis ad nigrum memorauit Orcum,
Nox vbi æternum patitur silendo
Frigida somnum?
6 *Nulla lamentis vacat hora solis,*
Fletibus totas ago noctis vmbras:
Et superiecto rigo lacrymarum
Flumine lectum.
7 *Fletus & mærens hebetauit angor*
Luminum vires, color inter hostes
Et virgo lætæ posuere rugis
Frontis honorem.
8 *Vos, quibus fraus est iocus, & voluptas*
Ite; spe vana cecidistis: aure
Nam meos questus Dominus recepit
Æquus amica.
9 *Annuit vultu precibus sereno,*
10 *Audijt lenis mea, vota, cessas*
Turba confuso variare turpes
Ore colores?
Tingat hostilis pudor ora turbæ:
Corda dissoluat pauor: Fia votis
Irriti, mæstos agite in remotis
Sedibus annos.

PSALM. VII.

1 *TE rector orbis spem salutis vnicam*
Periclitantis inuoco.
A factione redde persequentium,
Potentiore sospitem.
2 *Leonis instar efferi ne deuoret*
Hostis carentem vindice.
3 *Mentem manusque labe si piaculi*
Contagiosa pollui:
4 *Si damna damnis reddidi, spe decidam*
Priuatus omni gloria.
5 *Fugiens, ab hoste persequente retrahar,*
Mactatus ense corruam:
Mecum insepulto funeretur inclyti
Quæcunque laus est nominis. 6 *At*

5 Quoniam non est in mor
te qui memor sit tui: in in-
ferno autem quis confite-
bitur tibi?
6 Laboraui ingemitu meo,
lauabo per singulas noctes
lectum meũ: lacrymis meis
stratum meum rigabo.
7 Turbatus est à furore o-
culus meus: ĩueteraui inter
omnes inimicos meos.
8 Discedite à me õnes, qui
operamini iniquitatẽ: quo
niam exaudiuit Dominus
vocem fletus mei.
9 Exaudiuit Dominus de-
precationem meam: Domi
nus orationẽ meã suscepit.
10 Erubescant, & contur-
bentur vehementer õnes
inimici mei: cõuertãtur, &
erubescãt valde velociter.

PSALM. VII.

1 DOmine De⁹ meus,
in te speraui: saluũ
me fac ex omnibus perse-
quentibus me, & libera me.
2 Ne quãdo rapiat, vt leo
animam meã: dum non est,
qui redimat, neque qui sal-
uum faciat
3 Domine Deus meus, si
feci istud: si est iniquitas
in manibus meis.
4 Si reddidi retribuẽtibus
mihi mala: decidã merito
ab inimicis meis inanis.
5 Persequatur inimic⁹ ani-
mam meam, & cõprehen-
dat, & conculcet in terrauitã meã: & gloriã meã in puluerem deducat.

6 Ex

6 *At vltor ira surge plenus, fulmina:*
Inuade fines hostium.
7 *Cordi esse legem, quam tulisti, vt aßeras*
Exurge: nam minoribus
Iniuriosos imperas à publica
Authoritate corripi.
Si me tueris te corona gentium
Plaudientium circundabit.
8 *Defensor æqui iuris innocentiæ*
Ab omnibus vocabere.
Hanc surge propter gloriam sublimior,
Qui iura das mortalibus.
9 *Agnosce causam iudica: vide meam*
Quæsitor innocentiam.
10 *Vanescet hominis tam scelesti iniquitas:*
Iusti vigebit æquitas.
Scrutatur etenim perspicax mentem Deus,
Introspicit præcordia.
11 *Illud hinc salutis habeo præsidium meæ,*
Nam corde puros liberat.
12 *At vos scelesta turba, cunctantis mora*
Ne Numinis fallamini.
Vt æqui amicos sospitat: sic tempore
Suo fatigat improbos.
13 *Ni frena mentis obstinatæ vertitis*
Iam stringit ensem flammeum.
14 *Iam tendit arcum: tela mittet ignea:*
Vrentur illis saucij.
15 *Tu qui nefanda parturis, doloribus*
Exæstuas dum concipis.
Partumque tandem fundis, instar fabulæ
Quam fingit vmbra somnij.
16 *Scrobe deuorare qua parabas alterum,*
Hac deuoratus occidis
17 *Fraus in parentem redijt, authoris sui*
Ruina preßit verticem.
18 *Erit ergo carmen, Æquitas Dei mihi,*
Eiusque nomen inclytum. *Nos*

6 Exurge Domine in ira
tua:& exaltare infinibus ini
micorum meorum.
7 Et exurge Dñe Deus
meus, in præcepto, quod
mandasti;& synagoga po-
pulorum circundabit te.
8 Et propter hanc in altũ
regredere: Dominus iudi-
cat populos.
9 Iudica me, Domine, se-
cundum iustitiau meam:&
secundum innocentiã me-
am super me:
10 Consumetur nequitia
peccatorum, & diriges iu-
stum: scrutans corda, &
venes Deus.
11 Iustum adiutoriũ me-
um à Domino, qui saluos
facit rectos corde.
12 Deus iudex iustus, for
tis,& patiens: nũquid ira
scitur per singulos dies.
13 Nisi conuersi fueritis,
gladium suum uibrabit;
arcum suum tetendit, &
parauit illum.
14 Et in eo parauit vasa
mortis: sagittas suas arden-
tibus effecit.
15 Ecce parturit iniustiã,
concepit dolorem: & pe-
perit iniquitatem.
16 Lacum aperuit,& effo-
dit eum: & incidit in foue
am, quam fecit.
17 Conuertetur dolor e-
ius in caput eius: & in uer-
ticem ipsius iniquitas eius descendet. 18 Confitebor Domino secun-
dum iustitiam eius: & psallam nomini Domini altissimi,

PSALM. VIII

1 NOster humanæ Imperator
Gentis ô clarissime
Quàm tuum nomen per omnes
Orbis oras funditur.
2 Elegantior decore
Astra cæli præteris.
3 Muta soluis ora laudes
In tuas infantiæ;
Cuius acclamatione
Victor hostes eruis.
4 Hoc tuæ videbo cælum
Arte factum dexteræ:
Orbe lunam nunc rotundam,
Nunc acutam cornibus:
Flammeas stellas in ipso
Conspicabor æthere.
5 Tunc, Quid est homo? rogabo:
Cuius es non immemor.
Exulis quid est Adami
Stirps, vt illam visites?
6 Condidisti si minorem
Angelorum cœtibus:
Inclytum tamen creasti
Mente, forma, gloria.
Quicquid est tui peractum
Roboris potentiâ,
Te volente te iubente
Est sub illo principe.
7 Cuncta quæ meantis auræ
Viua potant spiritum,
Eius ipse collocasti
Sub pedum vestigijs
Huic boues, ouesque parent,
Huic agrorum belluæ.
8 Huic volucres, ac ruentes
Lata pisces æquora.
9 Noster humanæ Imperator
Gentis ô clarissime
Quàm tuum nomen per omnes
Orbis oras funditur.

PSALM. VIII.

1 DOmine Dominus noster:quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?
2 Quoniã eleuata est magnificẽtia tua: super cælos.
3 Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: ut destruas inimicum, & vltorem.
4 Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorũ tuorum: lunam, & stellas, quæ tu fundasti.
5 Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?
6 Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.
7 Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues, & boues vniuersas: insuper, & pecora campi.
8 Volucres cœli, & pisces maris: qui perambulant semitas maris.
9 Domine Dominus noster quam admirabile est nomẽ tuum in vniuersa terra?



PSALM IX.

1 TE cithara, te voce canam, tua mẽte reuoluã
Facta, Parens, tibi lætitia perfusus in auras
2 Efferar, & citharas numeris vocalibus addam
3 In nomen rex alme tuum. Ruit hostis ab ore
Namque tuo fugiens, animamque efflauit eundo.
4 Æquus enim iudex partes aduersus iniquas,
Ipse mihi afflictæ dirimis certamina causæ.
5 Gentibus increpitans clausisti immanibus ora.
Impietate reos damnasti, nomina quorum
Fecisti æternum secreta minoribus esse.
6 Hostis amare tuo finem Deus attulit ensi,
Et tua prostratis iam diruet oppida muris.
7 Illa cadent magno radicitus eruta motu
Teque simul tacitæ condent obliuia famæ.
Ipse autẽ Dominus manet, æternumque manebit
8 Iamque sibi solium componit vt arbiter orbem
Temperet, & populos examine iudicet æquo
9 Præsidium miseris aderit statioque, furentes
Tempestas rerum cum soluerit aspera ventos.
10 Ergo, Parens, duri sperent te in rebus amicum
Qui nomen nouere tuum. Non forte relinquis
In grauiore pios, qui te & tua iussa requirunt.
11 Dicite vos dominum qui numine tecta Sionis
Alma tenet, populis externa per oppida ferte
12 Cõnsilia, euentis nunquam caritura secundis
Cæde vaporantes insonte vlciscitur enses,
Et dare pauperibus non obliuiscitur aurem
13 Alme precor, miserere: meas ò respice curas
14 Hostilisque minas odij: Ne regia lethi
Effice me piceis includat ahenea portis.
Ipse tuas repetã Solymæã per atria laudes 15 Au

PSALM. IX.

1 Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabil a tua.
2 Lætabor, & exultabo in te: Psallam nomini tuo, altissime.
3 In conuertendo inimicum meum retrorsum: ĩfirmabuntur, & peribunt à facie tua.
4 Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam: sedisti super trhonũ qui iudicas iustitiam.
5 Increpasti gentes, & periit impius: nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi.
6 Inimici defecerunt frameæ ĩ finem: & ciuitates eorum destruxisti.
7 Perijt memoria eorũ cũ sonitu. Et Dominus in æternum permanet.
8 Parauit in iudicio thronum suum: & ipse iudicabit orbẽ terræ, in æquitate, iudicabit populos in iustitia
9 Et factus est Domin' refugium pauperi: adiutor

in opportunitatibus, in tribulatione. 10 Et sperent in te, qui nouerũt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. 11 Psallite Domino, qui habitat in Sion: annunciate inter gentes studia eius 12 Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum. 13 Miserere mei, Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis. 14 Qui exaltas me de portis mortis: ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

15 *Autoremque meæ dicent caua nablia vitæ.*
Quem fecere lacum gentes adiere malignæ:
16 *Retia ponentes nodati in retibus hærent.*
17 *Scilicet hanc legem statuit vindicta Parentis*
Admiranda, suis fallantur vt artibus artes:
Et laquei proprijs vt inuentoribus obsint.
18 *Impietas ergo teneat regna inuia soli*
Et secura Dei gentes quæ obliuia potant.
19 *Integritas autem nec tristibus occubet vmbris,*
Spes inopum seros nec lugeat obruta fines.
20 *Surge, parens, ne quis rerum successibus auctus*
Erigat in tenues elato cornua vultu.
21 *Iuraque regnator da gentibus æqua superbis,*
Adde metum freno quoniam formidinis actæ
Aspicient Numen maioribus esse timendum,
Vlturum in timidos quæ patrauere minores.

PSALM. X.
secundum Hebr.

1 *CVr procul alme Parens abiisse videbere, quando*
Atrox procella temporum iustos agit?
2 *Impius euehitur dum fastu elatus inani,*
Pium superba calcat impotentia.
In caput ô vtinam recidant inuenta malorum,
Et cogitatis occidant furoribus.
3 *Se leuat in cælum, temerata nefarius explet*
Libidinosi quando vota pectoris.
4 *Applaudunt scurræ linguis, animosior inde*
Suis lacessit astra contumelijs;
5 *Ergo furens animi, posita formidine, cæli*
Vltoris iram regis obliuiscitur.
Quà vocat improbitas, illà scelus occupat omne,
Seu nox oberrat, siue sol regit diem.
6 *Non subit interea quibus illum excindere poenis*
Statuit seueri læsa maiestas Dei.
Aut animi plenus dominũ se fingit in hostes. 7 *Au*

15 Exultabo ĩ salutari tuo
infixæ sunt gẽtes in inte
ritu, quem fecerunt.
16 In laqueo isto, quem
absconderunt: compre-
hensus est pes eorum.
17 Cognoscetur Dominus
iudicia faciens: in ope-
ribus manuum suarum
cõprehẽsus est peccator.
18 Conuertantur pecca-
tores in infernũ: omnes
gentes, quæ obliuiscun-
tur Deum.
19 Quoniam non in finem
obliuio erit pauperis: pa
tientia pauperum non
peribit in finem.
20 Exurge Domine, non
confortetur homo: iudi
centur gentes in cõspec-
ctu tuo.
21 Constitue, Domine, le-
gislatorem super eos: ut
sciant gentes, quoniam
homines sunt.

PSALM. X.
secundum Hebr.

1 VT quid, Domine, recessisti longe: de-
spicis in opportunitati
bus, in tribulatione.
2 Dum superbit impius, in-
cenditur pauper: cõpre-
henduntur in consilijs,
quibus cogitant.
3 Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ: & iniquus bene-
dicitur 4 Exacerbauit Dominum peccator: secundum multitudinem
iræ suæ non quæret. 5 Non est Deus in cospectu eius: inquinatæ sunt uiæ
illius in omni tempore. 6 Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium
inimicorum suorum dominabitur. 7 Dixit

7 *Aut hæc inani voluit impudentia;*
Ibit inoffenso pede vita, nouissima donec
Meum coronet verticem felicitas.
8 *Fraudes ore vomit promptus maledicere, lingua*
Bonis dolores, & labores parturit.
9 *Collocat insidias circa ferus atria ditum,*
Inde vt cruorem spargat innocentium.
10 *Hinc inopem toruo venientem lumine seruat;*
Respicit ab antro sæuus vt prædam leo.
11 *Innoculs ergo latet imprudentibus hostis,*
Vt implicatos retibus trahat suis.
12 *Quos vbi despexit luctari in cassibus, exit,*
Superque, toto pectore incumbens, cadit
His vbi non meritos affecit cladibus, arte
Immanitatem celat implacabilem,
13 *Tum secum hæc memorat, Deus obliuiscitur orbem,*
Et vt ferantur res, videre negligit.
14 *Surge, manum radijs attolle minacibus vltor,*
Ne te piorum cœperint obliuia.
15 *Cur impune tuus secum meditabitur hostis,*
Non esse curæ res tibi mortalium?
16 *At bonus innocui miseranda incommoda cernis*
ET quo dolore torqueantur adspicis
Indignata vides vt sæuiat ira tyranni,
Quem puniendum dexteræ trades tuæ.
17 *Sunt inopes, & erunt tua cura parentibus orbam*
Tutor gubernas ipse solitudinem
18 *Vires frange; pios adeo quibus impius vrget,*
Vt non reperias quem secundò punias,
19 *Omnia rex hominum dominabere tempora, quamuis*
Ex orbe semen impium fugaueris.
20 *Hæc sunt alme Parens audi pia vota bonorũ:*
Hæc mista lacrymis pectorum suspiria.
21 Pupil-

7 Dixit enim in corde suo:
Non mouebor à genera-
tione in generationem,
sine malo.
8 Cuius maledictione os
plenum est, & amaritudi-
ne, & dolo: sub lingua e-
ius labor, & dolor.
9 Sedet in insidijs cum di-
uitibus in occultis vt in-
terficiat innocentem.
10 Oculi eius in pauperẽ
respiciunt: insidiatur in
abscondito, quasi leo in
spelunca sua.
11 Insidiatur, vt rapiat pau-
perẽ, rapere pauperẽ dũ
attrahit eum.
12 In laqueo suo humiliabit
eum: inclinabit se, & ca-
det, cum dominatus fue-
13 rit pauperum.
Dixit enim in corde suo
oblit⁹ est De⁹: auertit fa
ciẽ suã, ne videat in finem
14 Exurge Domine Deus,
& exaltetur manus tua:
ne obliuiscaris pauperũ.
15 Propter quid irritauit
impius Deũ? dixit enim
ĩ corde suo, Nõ requiret.
16 Vides, quoniam tu la-
borem, & dolorem con-
sideras: vt tradas eos in
manus tuas. 17 Tibi de-
relictus est pauper: orpha-
no tu eris adiutor. 18 Contere brachium peccatoris, & maligni: quæretur
peccatum illius, & non inuenietur. 19 Dominus regnabit in æternum, &
in seculum seculi: peribitis gentes de terra illius. 20 Desiderium pau-
rum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

21 *Pupillum tenuemque velis defendere, surgat.*
Animis tyrannus ne quis insolentior:
Et validis fidens opibus calcare minores
Audeat eodem fictus è terræ luto.

PSALM. X.
Hebr. XI.

1 *DVm Domino fidam, quid dicitis, Alite pēna*
Instar auis timidæ per iuga summa fuge?
Impius intendat calamis letbalibus arcum,
Et velit occulta cæde necare pios.
3 *Quid meruere boni, si fundamenta ruerunt*
Prauorum instabili non benè fulta manu.
4 *Sancta coruscantis vindex habet atria templi,*
Inde toro residens omnia facta videt.
5 *Per varias hominum circumfert lumina curas,*
Lumina secretum præteritura nihil.
6 *Approbat, insontes peragunt quæcunque labores;*
Omne sed auerso despicit ore nefas.
7 *Quin super exleges tortum iaculabitur ignem,*
Mistaque sulphurea retia nube pluet:
Addet agens hyemes. Hæc pharmaca diluet auris
Impie letbæo vase bibenda tibi.
8 *Iustitiam Dominus rerum quia diligit, omnes*
Pectore qui casto recta sequuntur, amat.

PSALMVS. XI.
Hebr XII

1 *O Rector esto præsidium mihi,*
Nam fugit orbem territa sanctitas:
Fidesque mutauit remoto
Exilio temerata gentes.
2 *Mendosa narrant quisque sodalibus*
Verbis amicant dulcibus alterum:
Sed corde prauas fraudulento,
Vt noceant, meditantur artes.

3 *O fra-*

21 Iudicare pupillo, & humili: vt non apponat ultra magnificare se homo super terram.

PSALMVS. X.
Hebr. XI.

1 IN Domino confido quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem, sicut passer?
2 Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum parauerunt sagittas suas in pharetra ut sagittēt in obscuro rectos corde.
3 Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt: iustus autē quid fecit?
4 Dominus in templo sancto suo: Dominus in cælo sedes eius.
5 Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebræ eius interrogāt filios hominū.
6 Dominus interrogat iustum, & impium: qui autem diligit iniquitatē, odit animam suam.
7 Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarū: pars calicis eorum.
8 Quoniam iust' Dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

PSALM. XI
Hebr. XII.

1 SAluum me fac, Domine, qm̄ defecit sāctus: quoniam diminutæ sunt
veritates a filijs hominum. 2 Vana locuti sunt vnusquisque ad
proximum suum: labia dolosa, in corde, & corde locuti sunt

3 Dis

3 *O frangat, orbem qui regit arbiter*
Fucata blandis ora coloribus:
Doctam recidat magna linguam
Intrepidis resonare dictis.
4 *Audent superbi talia proloqui,*
Verbis agamus cuncta licentius:
Nam nostra habenis e equis ora
Aut hominum premit aut Deorum?
5 *Aduertit aurem sed querimoniis*
Numen bonorum sæua gementium:
Dixitque surgam, ne cathenas
Sub tumido patiantur hoste.
Quin liberatos sedibus in ferum,
Impunè cernent vnde pericula:
Rerumque motus, & frementes
Sub pedibus volitare curas.
6 *Promissa ducit semper in exitum*
Syncera, tanquam fusile septimo
Aurum camino quod recoctum
Dissimili sine fæce lucet.
7 *Nos efferatæ gentis ab impetu*
Regnator olim magne tueberis:
Nos à malorum stirpe saluos
Perpetuum statues in æuum.
8 *Rerum potestas cum datur improbis*
(Scis alme) versant cuncta volubiles;
Terræque proles in bonorum
Asperior sobolem tumescit.

PSALM. XII
Hebr. XIII.

1 Q*Vo Pater vsque mei capient te obliuia? semper*
Ora teges, oculis non retegenda meis?
2 *Consiliis animum quo tristibus vsque fatigo?*
Flebile quo pectus desinet esse die?
3 *Quò ferus vsque suos de me canet hostis honores?*
Verte precor vultus ad mea verba tuos.
4 *Hos radiis oculos tandem vitalibus adsta,*
Sopiti stygiis ne moriantur aquis.
Ne meus inualui pleno canat æmulus ore; 5 *Nā*
inimicus meus, præualui aduersus eum.

3 Disperdat Dominus ōnia
labia dolosa: & linguam
magniloquam.
4 Qui dixerunt: Linguam
nostram magnificabimus
labia nostra à nobis sunt
quis noster Dominus est,
5 Propter miseriā inopum?
& gemitum pauperum
nūnc exurgam dicit Dominus:
ponam in salutari,
fiducialiter agam in eo.
6 Eloquia Domini, eloquia
casta: argentum igne examinatum
probatum terræ, purgatū septuplum
7 Tu Domine seruabis nos
& custodies nos à generatione
hac in æternum.
8 In circuitu impij ambulant:
secundum altitudinem
tuam multiplicasti filios
hominum.

PSALM. XII.
Hebr. .XIII.

1 VSquequo, Domine
obliuisceris me in
finem? usquequo auertis
faciem tuam à me?
2 Quandiu ponam consilia
in anima mea dolorem in
corde meo per diem?
3 Vsquequo exaltabitur inimicus
meus super me?
respice, & exaudi me Domine
Deus meus,
4 Illumina oculos meos ne
vnquam obdormiam in
morte: nequando dicat

5 Qui

PSALM. XIV.
Hebr. XV.

1 *O Sator rerum quis amœna tecum*
AEtheris felix habitabit arua?
Quem fines almi tua feriati
Per iuga montis ?
2 *Integrum vitæ sceleris que purum,*
3 *Iuris, & veri cupidum; veneno*
Nescium blando medicare fictæ
Spicula linguæ.
4 *Damna moliri socijs, amicos*
Turpium dictis maculare rerum;
Casta quis puræ temerare fugit,
Nomina famæ.
5 *Impios ducens nihilo minores,*
Qui vehit iustos super astra laude,
6 *Vera iurati stabilire certus*
Fœdera pacti.
Non dedit nummos repetendo lucra;
Non vt insontem spoliaret auro
Cessit, inuictus stetit imò contra
Munera iudex.
7 *Quisquis hæc felix animi peregit,*
Euolat penna metuente solui:
Redditum cælo canet at sequentes
Fama per annos.

PSALM. XIV.
Heb. XV.

1 DOmine quis habitabit in tabernaculo
tuo? aut quis requiescet
in monte sancto tuo?
2 Qui ingreditur sine macu
la: & operatur iustitiam.
3 Qui loquitur veritatē in
corde suo: qui nō egit do
lum in lingua sua.
4 Nec fecit ꝓximo suo ma-
lum: & opprobrium non
accepit aduersus proxi-
mos suos.
5 Ad nihilum deduct'est in
cōspectu eius malignus: ti
mentes autem Dominum
glorificat.
6 Qui iurat proximo suo, &
nō decipit, qui pecuniam
suam non dedit ad usurā
& munera super innocen-
tem non accepit.
7 Qui facit hæc: non moue-
bitur in æternum.

PSALM. XV.
Hebr. XVI.

1 *INcolumem seruet tua me custodia, quando*
Alme Parens animo spes ades vna meo.
2 *Vnum te soleo sanctum mihi dicere numen:*
Et mea contestor non opus esse tibi.
3 *In sanctos ideo votis feror omnibus illos*
Quos non pœnituit sorte vocasse tuos.
4 *O genus ingratum, gens o obnoxia poenis*
Fingere de cæsis rupibus ausa Deos.

5 *Non*

PSALM. XV.
Hebr. XVI.

1 COnserua me, Domine: quoniam speraui in te.
2 Dixi Domino, Deus me'
es tu: quoniam bonorum
meorum non eges.
3 Sanctis, qui sunt in terra
eius: mirificauit omnes
voluntates meas in eis.
4 Multiplicatæ sunt infirmi
tates eorum: postea acce
lerauerunt.

5 Non

5 *Non ego pollutis horum me altaribus addam,*
Accendunt vitula quando tepente rogos
Non inuenta loquar, Dijs nomina talibus vnquã
Nec facient dictis fœderibusque fidem.
6 *Ritè colam Dominum nostræ patrimonia sortis,*
Qui socium pateræ me facit esse suæ,
Rem mihi componet, populũque tuebitur idem
Cui vertenda dedit fertilis arua soli.
7 *O sors, ò regio cultis vberrima fundis,*
Prouentu agricolas quàm beat vna suos.
8 *Te dicam Genitor, video quo vera magistro;*
Quo perago noctem, quo monitore diem.
9 *Namqua soles dextrum sẽper mihi numen adesse,*
Res ferat impulsas ne qua ruina meas.
10 *Gaudia quàm recreant hoc exultantia pectus,*
Linguaque per laudes quàm cupit ire tuas
11 *Spero equidem stygijs animam nec sedibus addes*
In cineres verti nec mea membra sines.
12 *Immo viam pandes qua rursus in æthera surgam*
Inque meos fundes gaudia mille sinus.
Et manibus sparges ingentia munera plenis
Temporis æternas prateritura moras.

5 Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero no minũ eorũ per labia mea:
6 Domin' pars hæreditatis meæ,& calicis mei: tu es, qui restitues hęreditatẽ meam mihi.
7 Funes ceciderũt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.
8 Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectũ: insuper, & vsque ad noctẽ ĩcrepuerũt me renes mei
9 Prouidebam Dominũ in conspectu meo sẽper: qm̃ à dextris est mihi, ne cõmouear.
10 Propter hoc lætatum est cor meum,& exultauit lingua mea: in super,& caro mea requiescet in spe.
11 Quoniam non de relinques animam meam in inferno: nec dabis sanctũ tuũ videre corruptionẽ.
12 Notas mihi fecisti vias vitæ; adimplebis me lætia cum uultu tuo:delectationes in dextera tua usq; in finem.

PSALM. XVI.
Hebr. XVII.

1 *SI iusta posco, lenis aurem Conditor*
Blandam querelis applica.
2 *Fuco malignæ fraudis ora callido*
Non te precantur illita
3 *Qui cernis oculis æqua perspicacibus,*
Quo iure sum pronuncia.
4 *Per noctis vmbram sæpe tentastis meis*
Quid esset in præcordijs.
Examinasti facibus, inuentum nihil
In ore menti dissonum. 5 *Vi*

PSALM. XVI.
Hebr. XVII.

1 EXaudi, Domine, iustitiam meam: intende deprecationem meam.
2 Auribus percipe orationem meam: non in labijs dolosis. 3 De
vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates. 4 Pro-
basti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta
in me iniquitas.

5 Ve

5 *Vidi malorum facta, legum scilicet*
Memor tuarum, lubricas
At quas terebant orbitas exhorrui,
Ne par sequendo euaderem.
6 *Hac mente gressus per tuas vias rege.*
Lapsu pedum ne corruam,
7 *Audi inuocantem, mitis aure supplicis*
Questus amica suscipe.
8 *Bonos tuendo redde te mirabilem*
Spes vna te colentium.
9 *At prępotenti dexterę obsistentibus*
Ostende formidabilem.
Pupilla quali luminum custodia
Seruatur intuentium:
10 *Hac me tuere. Sub tuis fugiant graues*
Alis timores hostium.
11 *Vallant obesi me phalange corporum*
Formidolosa pinguium,
12 *Tonant superba fastuosi, callibus*
Rotant euntem, retia
13 *Locis adaptant, & leonis impetunt*
De More, vel leunculi.
Quem prima ab antro mittit in prędam fames
14 *Exurge, vim tyrannidis*
Prior anteuerte, sterne vindex impium:
Et hunc ab illo spiritum
Defende, gladium de manu extorque tuum
Quem nunc inulta fulminat.
15 *Dextris eorum vindica mortalium*
Caduca quos spes allicit.
Qui se beatos rentur, vncto fercula
Si lauta ventri sufficis.
Penumq; terrę pandis, vnde prodiga
Felicitate exuberent.

16 Diu

5 Vt non loquatur os meum opera hominũ: propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.
6 Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moueantur vestigia mea.
7 Ego clamaui quoniam exaudisti me, Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.
8 Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.
9 A resistentibus dexterę tuę: custodi me vt pupillam oculi.
10 Sub vmbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum, qui me afflixerunt.
11 Inimici mei animam meam circũdederunt: adipem suũ concluserunt, os eorum locutum est superbiam.
12 Proijcientes me, nunc circundederũt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.
13 Susceperunt me, sicut leo paratus ad prędam & sicut catulus leonis habitans in abditis.

14 Exurge, Domine, pręueni eum, & supplanta eum: eripe animã meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuę. 15 Domine, à paucis de terra diuide eos in vita eorum de absconditis terrę adimpletus est venter eorum.

16 *Diu parentes, & talenta liberis*
Fruenda dent hæredibus.
17 *Intaminata diues innocentia*
At ipse te clarissimo
Vultu micantem si, Parens, aspexero,
Implebor omni gaudio.
Hæc est beata cælitum felicitas,
Tuam videre gloriam.

16 Saturati sunt filijs: & dimiserunt reliquias suas paruulis suis.
17 Ego autem in iustia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua.

PSALM. XVII.
Hebr. XVIII.

1 *Ardebo te, sancte Parens, mihi turris ahena,*
2 *Arx, spes, ara, salus, belli in congressib. vmbo;*
Iactatæq; salo statio bene fida carinæ
3 *Te quoties laudo, & supplex tua numina posco,*
Hostis abire fuga magnis vlulatibus ardet.
4 *Ipse autem posita sospes formidine viuo*
Cum laqueis pauidum mors irretiret ahenis,
Vndantes Erebi ruerent è fontibus amnes,
5 *Me lethi manicæ vinctum pedicæq; tenerent,*
6 *Clamaui ad Dominum; flet lanti à vertice templi*
7 *Audijt, ac blandam clamoribus appulit aurem.*
8 *Ingemuit tellus, dirum fundamina motis*
Contremuere iugis sensere vt numinis iram.
9 *Fumiferam calidis efflabat naribus vndam*
Ore vomens ignem quo sylua ambusta relucet
Et noua concipiunt restinctæ incendia prunæ.
10 *Cumq; supercilio Pater inclinasset Olympum,*
Descendit, nebulæq; pedes vmbrauit amictu.
11 *Protinus inuehitur curru celer alite, candens*
Quem flammis auriga regit, pennisq; volantes
Ocyor auratis ventorum præterit alas.

12 *Ille*

PSALM. XVII.
Hebr. XVIII.

1 Diligam te, Dñe, fortitudo mea Dominus firmamentũ meũ & refugium meum, & liberator meus.
2 Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eum: Protector me⁹, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.
3 Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis saluus ero,
4 Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.
5 Dolores inferni circundederunt præoccupauerunt me laquei mortis.
6 In tribulatione mea inuocaui Dominum: & ad Deum meũ clamaui.

7 Et exaudiuit de monte sancto suo uocem meam: & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius. 8 Commota est, & contremuit terra
fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt: quoniam iratus
est eis. 9 Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit: carbones
succensi sunt ab eo. 10 Inclinauit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus
eius. 11 Et ascendit super Cherubim, & volauit: uolauit super pennas
uentorum.

12 Et posuit

12 *Ille cauo piceæ latitans in fornice nubis,*
Se circum tenebras, & aquatica nubila fudit.
13 *Attamen ardenti vultus fulgore coactas*
Soluebat nubes, grando lapidosa ruebat,
Vnde, poloq; faces toto micuère sonantes.
14 *At pater omnipotens vt vocibus ora resoluit,*
Intonuit cælum, ruit ater grandinis imber,
Et diri arserunt radijs fatalibus ignes.
15 *Instat agens hyemes telorum, & fulmina densat*
Crebra manu, totoq; vagas ferit æthere flammas.
16 *Tunc patuere suis defecta liquoribus antra,*
Vnde fluunt amnes, tunc fundamenta reclusit
Orbis terra sinus arcanaq; viscera pandens.
17 *Talis erat Domini vox, talis anhelitus oris.*
18 *Ille manum tendens è cæli vertice, ferri*
19 *Me stygijs inbibebat aquis, ex hostibus vltor*
Asseruit, flammas odij restinxit anhelas:
Arma quibus potui victus succumbere, fregit.
20 *Nam me tempestas ageret cùm turbida rerum,*
Aggressi magnis validi conatibus hostes
Incubuere, Parens at qui regit omnia, vidit
Auxilioq; suum præsens fundauit amicum:
21 *Et latum per iter duxit. Mihi nanq; volebat*
22 *Iustitiæ ob merita, & manuum bene facta mearũ,*
Æquus honoratæ concedere præmia vitæ.
23 *Iussis quippe vijs vltro vestigia feci,*
Cultor sacra Deum nunquam temerata secutus
24 *Ante oculos Domini sanctissima iura ferebam,*
Nec placitas duro repuli conamine leges.
25 *Teste Deo fraudis, scelerisq; ignarus, & omnis*
Flagitij, tenui cursu meliora secundo.
26 Ius-

12 Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus aeris.
13 Præ fulgore in cõspectu eius nubes transierunt: grando, & carbones ignis.
14 Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis.
15 Et misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.
16 Et apparuerunt fontes aquarum: & reuelata sũt fundamenta orbis terrarum,
17 Ab increpatione tua, Domine ab ĩspiratione spiritus iræ tuæ.
18 Misit de summo, & accepit me: & assũpsit me de aquis multis.
19 Eripuit me ab inimicis meis fortissimis, & ab his, qui oderunt me: qm̃ confortati sunt sup me:
20 Præuenerunt me in die
afflictionis meæ: & factus est Dominus protector meus. 21 Et eduxit me in
latitudinem: saluum me fecit, quoniam voluit me. 22 Et retribuet mihi
Dominus secundum iustitiam meam: Et secundũ puritatem manuũ mearũ
retribuit mihi. 23 Quia custodiui uias Domini: nec impie gessi à Deo meo.
24 Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius non
repuli à me. 25 Et ero immaculatus cum eo: & obseruabo me ab
iniquitate mea.

26 *Iussa videns ergo diuina facessere promptum,*
Et sine labe manus donis cumulauit amicum.
27 *Cui non assimilem te moribus optime fingis?*
Sanctus ades sanctis, idemq; insontibus insons,
28 *Simplicibus simplex, at fallere callidus armis*
Te non dispáribus regem experietur iniquum,
29 *Tu populum seruas inopem, tu lumina cogis*
Ardua, ventosos ponant vt cernua fastus.
30 *Tu generis decoras ortum, mea nubila pellis,*
31 *Das superare acies, transireq; mœnia saltu,*
32 *O tua quàm sanctas aperit Deus orbita leges,*
Quā seruant promissa fidem? Non purius vnquam
Desinet à septem coctum fornacibus aurum.
Queis tibi fidentes clypeo vt septemplice munis.
33 *Qui Deus ô gentes alter molitur habenas*
Orbis, & iuuentis hunc addit rebus honorem?
34 *Numen habet solus qui me nunc viribus armat,*
35 *Nunc aperit sine fraude vias, pedibusq; volantes*
Fecit vt æquarem ceruos, ac tuta subirem.
36 *Ille docet bellare manus, quibus arcus ahenus*
Frangitur, & clypeum telis venientibus offert.
37 *Nutantem fulcit: cùm me in discrimina mittit,*
38 *Aut scelerum pœnas, extremo vrgente periclo*
Sospitat, & famæ maioribus euehit alis,
39 *Expediens latum vestigia tuta per æquor.*
40 *Ergo ferum rigidis hostem sequor acer in armis,*
Palantem capiam, nec signa in castra reducam
Ante, meæ sæuo quàm turbine corruat hastæ,
41 *Aut veniam affusi pedibus, vitamq; precentur*
Inualidi pugnas iterum tentare minaces.
42 *Hunc mihi das genitor pugnanda in bella vigorē,*
Sub pedibusq; locas quicunq; in prelia surgunt,
43 *Aut-*

26 Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiā meā, & secundum puritatē manuū mearū in conspectu oculorum eius.
27 Cum sancto sanctus eris: & cum uiro innocēte innocens eris.
28 Et cum electo electus eris: & cum peruerso peruerteris.
29 Quoniam tu populum humilem saluum facies: & oculos superborum humiliabis.
30 Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus illumina tenebras meas.
31 Quoniā in te eripiar à tētatione: & in Deo meo transgrediar murum.
32 Deus meus, impolluta uia eius: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.
33 Quoniam quis deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?
34 Deus, qui præcīxit me virtute: & posuit immaculatam viam meam.
35 Qui perfecit pedes meos, tanquam ceruorum: & super excelsa statuens me.
36 Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti, vt arcum æreum bracchia mea.
37 Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me.
38 Et disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua ipsa me docebit.
39 Dilatasti gressus meos subtus me: & non sunt infirmata vestigia mea,
40 Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.
41 Confringā illos, nec poterūt stare: cadēt subtus pedes meos
42 Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.
43 Et

43 *Aut inboneſta facis vertant in vulnera tergum.*
44 *Auxilio veniant vt numina voce cicbunt.*
Nemo tamen fractis aderit, tibi vota neganti
Reſponſum, facient ſucceſsibus irrita lætis.
45 *Pulueris inſtar eos, quem torquent flamina, verram;*
Et pedibus ſubigam ceu ſtrata per humida cœnũ
46 *Seditioſa leuis pacas certamina vulgi.*
47 *Multis aqua tuo populis do numine iura*
Et fama imperij veniunt ſe ſubdere gentes
Ignotæ, ſeu vera ferant, ſiue arma timentes
48 *Noſtra parum fidis narrent mendacia linguis.*
Vt libet accedant: Etenim mea iuſſa capeſſent,
Incluſique ſuis agitabunt mœnibus æuum,
Vnde fluent inſtar frondis quam decutit Auſter.
49 *Laus tibi ſit rerum genitor, ſit gloria, vitæ*
50 *Ara ſaluſque meæ, per quem vindicta rebelles*
Iuſta domat, populiſque iugum tractabile reddit.
51 *Te duce prætcrito redij iam ſoſpes ab hoſte*
Victor agam reliquos, mibi ſi noua bella reſurgent
Indignata feri ſi ſæuiet ira tyranni.
52 *Ergo tuas dicam quæcunque per oppida laudes,*
Immortale feram numeris ad ſecula nomen.
53 *Seruaſti incolumen per tot diſcrimina regem,*
Seruatum cumulas opibus, prolemque fouebis
Dum ſol aſtra ſuo radiauerit ignea curru.

PSALM. XVIII.
Hebr. XIX

1 *HÆc cæli ſpecies motu reuoluta perenni*
Hic tenor æternus, rerum hic pulcherri mus ordo,
Eſſe Deum memorant. Illo inuentore coruſcis
Aſtra rubens æther accendit eburnea flammis.
2 *ſuc*

43 Et inimicos meos dediſti mihi dorſum: & odientes me diſperdidiſti.
44 Clamauerunt, nec erat, qui ſaluos faceret: ad Dominum nec exaudiuit eos
45 Et comminuam eos, ut puluerẽ ante faciem uenti: vt lutum platearum delebo eos.
46 Eripies me decontradictionibus populi: conſtitues me in caput gentiũ-
47 Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi
48 Filij alieni mentiti ſunt mihi filij alieni, ſueterati ſunt: & claudicauerunt à ſemitis ſuis.
49 Viuit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus ſalutis meæ.
50 Deus, qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me: liberator meus de inimicis meis iracundis.
51 Et ab inſurgentibus in me exaltabis me: à uiro iniquo eripies me.
52 Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine: & nomini tuo pſalmum dicam.
53 Magnificans ſalutes regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid: & ſemini eius vſque in ſeculum

PSALM. XVIII. Hebr. XIX.

1 CAEli enerrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.
2 Dies

2 *Succedunt vmbris soles, & solibus vmbræ.*
Noxque diem, noctéque dies monet vt sua magni
Numinis æternùm venia nt ad munera iussa.
3 *Non voces non verba sonant tamen vltima rerũ*
4 *Meta videt spatijs concordibus omnia ferri*
His populi signis atque hæc exempla secuti
Vestigate Deum qui frenat prouidus orbem.
5 *Ille coruscanti posuit tentoria soli,*
Vnde velut Tyrio sponsus rubicundus amictu
6 *Deserit auroræ thalamum, similisque giganti*
Carpit iter. Postquã summum terit æthera curru,
7 *Extremi reuolat per sidera frigida mundi*
Et fouet interea vitalibus omnia flammis.
8 *At decor astrorum, solisque aspectus euntis,*
Non ita delectat mortalia lumina visu,
Vt lex alma Dei mentes a d honesta reducit.
Hæc fidem rebus iurata, quæ fœdera sancit,
Hæc rudes animos monitis sapientibus aptat,
9 *Et placidis hilarat mortalia pectora iussis,*
Quæ demunt oculis omnem caliginis vmbram.
10 *Æternæ colitur sed relligionis honore:*
Leges quippe tulit quas veri conscia virtus
11 *Fasque iubent. Ergo meliore cupidine mentes*
Alliciunt, quam gemma nitens aurique metallum
Mella nec afficiunt adeò prædulcia linguam:
12 *His tibi qui purus Domino famulatur, inhæret:*
Nam facit ingentem meritis custodia legum.
13 *Quis scelus omne cauet? quis non fallacib' errat*
Consilijs? quis semper iter rimatur Olympi?
O pater ignotas animi bonus elue fraudes,
Nec sine ventoso me deseruire tumori.
14 *Si fugio hunc, sceleris fugiam contagia magni.*
Purus, & horrendæ prætereuebar ostia pœnæ
15 *Quae*

2 Dies diei eructat verbum
& nox nocti indicat scien
tiam.
3 Non sunt loquelæ, neque
sermones: quorum non
audiantur uoces eorum.
4 In omnẽ terram exiuit so
nus eorum: & in fines or-
bis terræ verba eorum.
5 In sole posuit tabernacu-
lum suũ: & ipse tanquam
spõsus procedens de tha-
lamo suo.
6 Exultauit, ut gigas ad cur
rendam viam: à sũmo cælo
egressio eius.
7 Et occursus eius vsque ad
summum eius: nec est qui
se abscõdat à calore eius.
8 Lex Domini immaculata,
conuertens animas: testi-
monium Domini fidele,
sapientiam præstans par-
uulis.
9 Iustitiæ Domini rectæ, læ-
tificantes corda: præcep-
tum Domini lucidum, illu
minans oculos.
10 Timor Domini sanctus,
permanens in seculum se
culi: iudicia Domini vera,
iustificata insemet ipsa.
11 Desiderabilia super aurũ
& lapidem pretiosũ mul-
tum, & dulciora super mel, & fauum. 12 Etenim seruus tuus custodit eã:
in custodiend is illis retributio multa. 13 Delicta quis intelligit? ab
occultis meis munda me: & ab alienis parce seruo tuo. 14 Si mei
non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto
maximo.

15 Et

15 *Quæ verbis, quæ mente rogo, Deus effice, quādo*
16 *Nobis solus ades, vitamque à morte reducis*

PSALM. XIX.
Hebr. XX.

1 *AVdiat omnipotēs tua vota, & protegat, atra*
Cum nube sæuit temporum necessitas,
Iacobum ex humili magnum quo nomine fecit,
Hoc hoste reddat te subacto nobilem.
2 *Mittat opem sacris almæ è penetralibus ædis,*
Et è Sionis arcibus corroboret.
3 *Sit memor vt sanctas epulis adoleueris aras,*
Pinguemque flammis hostiam cremaueris
4 *Det tibi largus opum quæcunque rogaueris illum*
Consilia lætis prosperet successibus.
5 *Te reducem cantu dicemus, & inclyta signa*
Domini frementes nomen, alleuabimus.
6 *Ipse tuis equidem votis Pater annuet, ipse*
Precibus secundos ordinabit exitus.
Quin etiam (video iam ferri oracula) Christum
Saluum per omnes euehet casus Deus.
7 *Afferet auxilium diuinæ è sedibus aulæ,*
Pollentis alma dexteræ potentia.
8 *Hi metuenda fremant falcatis curribus arma:*
Illique turmis sæuiant equestribus.
Nos Domini sanctum nomen repetemus auiti,
Illoque tuti prælia incohabimus.
9 *Curribus implicitis, & quadrupedantibus hostes*
Cadent in escam belluis voracibus.
At nos inualidi parto surgemus honore,
Fauore nempe subleuante Numinis.
10 *Incolumen nobis da, qui potes omnia, regem:*
Et numen adsit qua die inuocabimus.

15 Et erunt, vt complaceāt
eloquia oris mei: & medi-
tatio cordis mei in cōspec
tu tuo semper.
16 Domine adiutor meus:
& redemptor meus.

PSALM. XIX.
Hebr. XX.

1 EXaudiat te Domin
in die tribulationis:
protegat te nomē Dei Ia-
cob.
2 Mittat tibi auxilium de
sancto: & de Sion tueāt te
3 Memor sit omnis sacrifi-
cij tui: & holocaustum tu-
um pingue fiat.
4 Tribuat tibi secundum
cor tuum: & omne consi-
lium tuum confirmet.
5 Lætabimur ī salutari tuo:
& in nomine Dei nostri
magnificabimus.
6 Impleat Dominus om-
nes petitiones tuas: tunc
cognoui, quoniam saluū
fecit Dominus Christum
suum.
7 Exaudiuit illum de cælo
sancto suo: in potentati-
bus salus dexteræ eius.
8 Hi in curribus, & hi in e-
quis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. 9 Ipsi obliga
ti sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus. 10 Domine
saluum fac regem: & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

PSALM. XX.
Hebr. XXI.

1 *Virtute fultus rex tua, victorijs*
Potitur alme Conditor.
Te sospitante viuit, & vitam tui
Fatetur esse muneris.
2 *Voti dedisti compotem, nunquam preces*
Tulisse passus irritas.
3 *Quin vota donis anteuertis, circulo*
Illum coronas aureo,
Preciosa clarat more translucentium
Quem fixa gemma siderum.
4 *Vitam roganti secla viuat annuis*
Metanda nullis seculis.
5 *Immensa per te gliscit eius gloria*
Res, fama, laus, felicitas.
6 *Cælestis vnum ponis admirabile*
Exemplar indulgentiæ:
Tui exparatà semper oris gratia
Suum trahentem gaudium.
7 *In te locauit spes, fauore Numinis*
Non cedit inconstantiæ.
8 *Tua sceleratos perduelles dextera,*
Et te perosos vinciet.
9 *Flamma vt caminis lambit æstuantibus*
Arbusta sole torrida:
Sic, cùm furori lora iusto solueris,
Adflabis omnes impios,
10 *Iraque velles intonante noxijs*
Cum stirpibus propaginem.
11 *Quid impiorum cæca pernicacia*
Est ausa? comminiscitur
Tibi labores mente sæua, inutilis
Ad cogitata viribus.

12 *Hos*

PSALM. XX
Hebr. XXI.

1 Domine, in virtute tua lætabitur rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.
2 Desiderium cordis eius tribuisti ei: & volu ntate labiorum eius non frauda sti eum.
3 Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulce dinis: posuisti in ca pite eius coronã de lapide pretioso.
4 Vitam petiit à te, & tribuisti ei lõgitudinem die rum in seculum: & in seculum seculi.
5 Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam, & magnum decorem impones super eum.
6 Quoniam dabis eum in benedictionem ĩ seculum ec uli: lætificabis eũ gau dio cum uultu tuo.
7 Quoniam Rex sperat in Domino: & in misericordia altissimi non commouebitur.
8 Inueniantur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.

9 Pones eos, ut clibanum ignis in tempore uultus tui: Dominus in ira sua cõturbabit eos, & deuorabit eos ignis. 10 Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum à filijs hominum. 11 Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

12 Quo-

12 *Hos terga coges impotenter horridis*
Cadenda telis vertere.
Et ora rursus occupans, lethalia
In ipsa mittes spicula.
13 *Qui mundi habenas rector æternas regis*
Assurge nunc potentior.
Nos te canemus esse clementem bonis,
Et in scelestos asperum.

PSALMVS XXI.
Hebr. XXII.

1 *O Deus, ô sanctum mihi numen, respice, quare*
Te premor innumeris destituente malis?
Sidera continuis rugitibus alta fatigo,
Et fugit à lachrymis vita salusque meis.
2 *Siue polum radiet solis vaga flamma, vocanti*
Non mihi respondes dum regit illa diem.
Siue polum tenebris nocturna silentia condant,
Non sine lamentis nox abit vlla meis.
3 *Tu colis astrorum radiantes ignibus arces,*
Et celebre Isacidum carmine numen habes,
4 *Spes atauûm lætis firmasti euentibus olim.*
Roboris erectas sæpe vigore tui.
5 *Clamantum gemitus audisti ex æthere, nunquam*
Quod te quæsierint erubuere Deum.
6 *Dicor ego vermis, non vir: sum fabula vulgo*
Nominis exemplum vilis in vrbe feror.
7 *Porrigit extensis qui me videt ora labellis*
Vtraque ludenti tempora fronte mouet.
8 *En trepidas aiunt, qui spes in numine fixit:*
Seruet eum voluit si deus esse suum.
9 *Matris at è gremio venientem in luminis auras,*
Alme tuus patrio fouit amore sinus.
Spes mea iam fueras quando puer vbera suxi,
Nec sine te vidi teste parente diem.
10 *Ergo meum numen castæ genitricis ab aluo,*
Ne velut exposita stirpe relinque tuum.
11 En

12 Quoniam pones eos
dorsum: in reliquijs tuis
præparabis vultum eorũ.
13 Exaltare, Domine, in
virtute tua: cãtabimus, &
psallemus virtutes tuas.

PSALMVS XXI.
Hebr. XXII.

1 Deus, Deus meus, re-
spice in me, quare me
dereliquisti? longe à sa-
lute mea verba delicto-
rum meorum.
2 Deus meus, clamabo per
diem, & non exaudies: &
nocte, & nõ ad insipien-
tiam mihi.
3 Tu autẽ in sancto habi-
tas: laus Israel.
4 In te sperauerunt patres
nostri: sperauerunt, & li-
berasti eos.
5 Ad te clamauerũt, & sal-
ui facti sunt: in te spera-
uerunt, & non sunt con-
fusi.
6 Ego autem sum vermis,
& non homo: opprobriũ
hominũ, & abiectio ple-
bis.
7 Omnes videntes me, de-
riserunt me: locuti sunt
labijs, & mouerũt caput.
8 Sperauit in Dño, eripiat
eum: saluum faciat eum,
quoniam vult eum.
9 Quoniam tu es, qui ex-
traxisti me de vẽtre, spes
mea ab vberibus matris meæ: in te proiectus sum ex vtero. 10. De ventre
matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris à me.

11 *En Pater, hanc animā propiora pericula terrent,*
Nemine tam sæuas impediente minas.
12 *Hinc vituli cingunt, vertunt hinc cornua Tauri,*
Dorsa quibus validā pinguia mole tument.
13 *Me super ore fremunt, leo se de montibus acer*
In timidam veluti præcipitasset ouem.
14 *Et cruor effuso sudantem flumine lauit,*
Iunctaque dissoluit frigidus ossa timor
15 *Cor liquidum circa præcordia tabida finxit,*
Cera velut tepidos soluitur ante rogos
16 *Pristinus in morem luteæ vigor aruit vrnæ,*
Faucibus obstupuit lingua retenta meis.
Spirat adhuc refluæ vitalis anhelitus auræ,
Et videor gelidā iam tumulatus humo.
17 *Hinc me turba canum rabidis assultibus vrget,*
Pastaque flagitiis inde corona tenet.
18 *Ergo manus clauis fodere trabalibus ambas,*
Traiecêre pedes ceu ferus vnguè leo.
Omnia dinumerant oculis ridentibus ossa,
Ossa per extensam visa tumere cutem.
19 *Sæuitiæ exemplo tam raræ lumina pascunt,*
Et iuuat à nostris gaudia ferre malis.
Diuisere sibi spolium ceu nobile vestes:
In tunicam læti sorte venire meam.
20 *O Genitor diris absens ne desice rebus,*
Posco, vides quali tempore, fessus opem.
21 *O Deus hanc animam crudelibus eripe telis,*
Præda sit, ô inhibe, ne canis vna feri.
22 *Impatiente rapi ne sineris ore leonis,*
Neue sub immani Rhinocerote mori.
23 *Ipse tuum nomen memorabo fratribus olim,*
Te populi gregibus conciliisue canam.
24 *Hunc laudate pij Dominum quicunque timetis*

25 Hunc,

11 Quoniā tribulatio proxima est: quoniam nō est, qui adiuuet.
12 Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.
13 Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiēs, & rugiens.
14 Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.
15 Factum est cor meum, tanquam cera liquescēs: in medio ventris mei.
16 Aruit tanquā testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me.
17 Quoniam circundederunt me canes multi: cōsilium malignantium obsedit me.
18 Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerūt omnia ossa mea.
19 Ipsi vero considerauerunt, & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.
20 Tu autem, Domine, ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionē
meam conspice. 21 Erue à framea, Deus, animam meam: & de manu ca-
nis vnicam meam. 22 Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicornium
humilitatem meam. 23 Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ec-
clesiæ laudabo te. 24 Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuersum se-
men Iacob glorificate eum.

25 Timeat

25 *Hunc, domus Isacidum quem canis, vna time.*
Aspera supplicibus non præbuit ora querelis,
Non inopis durâ respuit aure preces.
26 *Audijt orantem lethæo ex aggere vocem,*
Restituitque oculis lumina dempta meis.
27 *Ergo tibi laudes populorum in cœtibus addam,*
Vota piâ coram debita gente feram.
28 *Accumbent epulis inopes, saturique loquentur*
Quæ fas est animo numen amante loqui.
Felices o este boni, pia viuite corda,
Dum fugat astra dies, dum fugat vmbra diem.
29 *His olim exemplis, quæuis habitata colonis*
Accipiet Domini mollior ora iugum.
30 *Tam varij linguis, habitu quàm vestis & ore,*
Mente Deum, precibus, muneribusque colent.
31 *Illius est totum componere legibus orbem,*
Ille domet gentes imperioque regat
32 *Excipiam mensis populos epularibus omnes.*
Quos alit innumeros vbere terra sinu.
Prodiga mirantes igitur conuiuia cœnæ
Sponte dabunt iussis mitia colla Dei.
Ante patrem solus cadit infelice ruina,
Sidera quem terris postposuisse iuuat.
33 *At mea posteritas superæ famulabitur aulæ,*
Solaque dicetur grex populusque Dei.
34 *Tunc alijs dicet ventura nepotibus ætas,*
Qua promissa Dei sint stabilita fide.

PSALMVS XXII.
Hebr. XXIII.


1 *ME regit æternis qui mundum frenat habenis:*
Nullam timebo pauper indigentiam.
Mollia ridenti vernant vbi gramine prata,
Mihi sedat ille pastor arentem famem.
2 *Vnda calore graues vbi frigida temperat auras,*
Dulci æstuosam mitigat lymphâ sitim.

3 Cùm

25 Timeat eum omne semen Israel: quoniam nō spreuit, neque despexit deprecationē pauperis.
26 Nec auertit faciē suam à me: & cum clamarem ad eum, exaudiuit me.
27 Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.
28 Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirūt eum: viuent corda eorū in sæculum sæculi.
29 Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum: vniuersi fines terræ.
30 Et adorabunt in conspectu eius: vniuersæ familiæ gentium.
31 Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.
32 Manducauerūt, & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.
33 Et anima mea illi viuet: & semē meū seruiet ipsi.
34 Annūciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt cæli iustitiam eius: populo, qui nascetur, quē fecit Dominus.

PSALMVS XXII. Hebr. XXIII.

1 DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. 2 Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.



 3 Dedu-

3 *Cùm vagus errarem de tramite deuius æqui.*
Dux in sequenda me locauit orbitâ.
4 *Si frigentis eam stygijs conuallibus Orci,*
Hoc regna comite non timebo pallida.
5 *Alme pedo tantum discrimina cæca fugabis,*
Animique solues irritas formidines.
6 *Tu mihi das epulis cumulatæ accumbere mensæ,*
Turbæ cateruis æmulæ videntibus.
7 *Tu fragrante mihi celsum caput vngis oliuo,*
Hilari coronas vna vino pocula.
8 *Quin etiam vitæ dum spiritus hos reget artus,*
Comes fouebit me tua indulgentia.
9 *Inque tuæ sanctis viuam penetralibus aulæ,*
Tempora dierum longa diffluentium.

PSALMVS XXIII.
Hebr. XXIV.

1 *Est Domini tellus, & quæ pleno vbere nutrit:*
Orbisque, & omnes orbis huius incolæ.
2 *Immotam refugo stabiliuit in æquore molem*
Vndisque lauit amnium perennibus.
Quam tamen exuperant humana hæc atria, sedes
Illæ beatis destinatæ heroibus?
3 *Ergo quis in montem veniet rutilantis Olympi?*
Gradumque cæli figet in cacumine?
4 *Qui gerit immunẽ sceleris mentemque manumq́;,*
Hinc corde purus, inde factis innocens.
Ludibrijs animum vanæ neque detinet vmbræ
Alijs nec obstat callidus periurijs.
5 *Hæc est progenies reuolans in sidera, quæris*
6 *Hæc ora, proles nata Iacobo, Dei.*
7 *Altius æternæ deducite limina portæ,*
Latera remotis expedite ianuis.
Rex venit insignis rerum quem gloria clarat,
Per vos in almam vadit ille regiam.

8 *Iste*

3 Deduxit me super semitas iustitiæ: propter nomen suum.
4 Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ timebo mala: quoniam tu mecum es.
5 Virga tua, & bacul' tuus: ipsa me consolata sunt.
6 Parasti in conspectu meo mensam: aduersus eos, qui tribulant me.
7 Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quam præclarus est?
8 Et misericordia tua subsequetur me: omnib' diebus vitæ meæ.
9 Et vt inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

PSALMVS XXIII.
Hebr. XXIV.

1 Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.
2 Quia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.
3 Quis ascẽdet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?
4 Innocẽs manib', & mun-
do corde, qui non accepit in vano animam suam: nec iurauit in dolo proxi-
mo suo. 5 Hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam à Deo
salutari suo. 6 Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei
Iacob. 7. Attollite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ æternales:
& introibit rex gloriæ.

8 Quis

8 *Iste quis est adeò regem quem gloria clarat?*
Fortis potensque bella qui nutu regit.
9 *Altius æternæ diducite limina portæ,*
Latera remotis expedite ianuis.
10 *Iste quis est adeò regem quem gloria clarat,*
Et sempiternæ poscit alta regiæ?
Qui regit arma suo pugnataque prælia nutu,
Hic est perenni rex decorus gloria.

PSALMVS XXIV.
Hebr. XXV.

1 *AD tua sollicitas animæ penetralia curas*
Mitto parens, ô sola meæ fiducia mentis.
Effice ne tingat fuco pudor ora rubenti,
2 *Neue canant hostes, me spes aluisse caducas.*
Erubuisse pios de te pendentibus, absit:
3 *Quippe rubor inclius sontes inglorius vret,*
Triste bonis acuunt qui nulla ob crimina bellum.
4 *Alme tuas ostende vias, aperique magister*
Flammea cælestes quibus itur ad atria calles.
5 *Dirige me veri facibus ne credulus errem,*
O Deus, ô omnes spes exorata per horas.
6 *Esto memor prima qui sis ab origine mundi*
Scilicet humano facilis mansuescere fletu.
7 *Quare age ne miseræ recolas delicta iuuentæ,*
Neue per incautos admissa piacula mores.
8 *Et tua me bonitas non aduersata rogantem*
Excipiat, quamuis nunquam meruisse, fatebor.
9 *Qua pietate Deum qua dicam iuris habenas*
Mollire imperium? lapsos per inhospita gaudet
Mollibus in planum deducere legibus æquor.
10 *Stat duce te nunquam superata modestia, vadit*
Ostensum per iter virtus inimica tumoris.
11 *Qua pergis rex alme via clementia tecum*
Ambulat, & paribus rerum se gressibus infert.
His etiam ducibus casti vestigia firmant,
Irreuocanda tuæ legis qui fœdera seruant.

12 *Iura*

8 Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis, & potẽs, Dñs potens in prælio.
9 Attollite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.
10 Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.

PSALMVS XXIV.
Hebr. XXV.

1 AD te Domine leuaui animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam.
2 Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi, qui sustinent te non confundentur.
3 Confundãtur omnes iniqua agentes: superuacue.
4 Vias tuas, Domine, demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.
5 Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Saluator meus, & te sustinui tota die.
6 Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & misericordiarum tuarũ, quæ à sæculo sunt.
7 Delicta iuuentutis meæ: & ignorantias meas ne memineris.
8 Secundũ misericordiam tuã memẽto mei tu: pro-
pter bonitatẽ tuam, Dñe. 9 Dulcis, & rectus Dñs: propter hoc legem dabit
delinquẽtibus in via. 10 Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias
suas. 11 Vniuersæ viæ Dñi misericordia, & veritas: requirentibus testamen-
tum eius, & testimonia eius.

12 *Iura poli vellem nunquam temeraſſe iubentis*
At non ſæpe tenent quando retinacula mentem:
(Fama tui latum ſic nominis occupet orbem)
Ignoſce, & quamuis ſint multa admiſſa remitte.
13 *Qui colis æternum vir relligione parentem,*
Et faciles audis cæli inflectentis habenas:
Sis felix quocunque viam legis æquore, rector
14 *Diriget omnipotens: animo tranquilla ſereno*
Aſpicies, tua poſteritas dotata manebit
15 *Sacra ſuo Dominus cultori arcana reuelat,*
Vnde pij ſapiunt, & fundamenta bonorum
Immotos ſolidant nunquam ruitura labores:
16 *Ergo oculis Dominum ſeruo vigilantibus, ille*
Quippe mea è poſitis demet veſtigia nodis.
17 *Reſpice me genitor, miſerere. en vnicus erro*
18 *Pauper, acerba ferens. Animũ quam cura fatigat?*
Quam ſcelerum facies, & præpetis horrea pœnæ?
19 *Clade vides humilem, ſubeant obliuia culpæ.*
20 *Aduerſas acies inimica ô agmina cerne,*
Tam numero veniunt, odijs quã infenſa malignis.
21 *Hanc animam ſerua; mihi ne pudor ora colret,*
Alme tuo trepidas quod ſpes in numine fixi.
22 *Simplicitas verumq; meæ duo mentis amores*
Speranti auxilio Dominum cecinere futurum.
23 *Quare age defeſſos Iacobi ô alme nepotes*
Erige, & in melius quæcunque pericula verte.

PSALMVS XXV.
Hebr. XXVI.

QVi regis humanas æquo moderamine cauſas,
Rex alme noſtram iudica.
Arcanis animi faculam penetralibus infer:
Adure cordis intima.

3 Dono-

12 Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.
13 Quis eſt homo, qui timet Dominũ? legem ſtatuit ei in via, quã elegit.
14 Anima eius in bonis demorabitur: & ſemen eius hæreditabit terram.
15 Firmamentũ eſt Dominus timẽtibus eum: & teſtamentũ ipſius, vt manifeſtetur illis.
16 Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.
17 Reſpice in me, & miſerere mei: quia vnicus, & pauper ſum ego.
18 Tribulationes cordis mei multiplicatę ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.
19 Vide humilitatẽ meam, & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.
20 Reſpice inimicos meos, quoniã multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me.
21 Cuſtodi animã meam, & erue me: non erubeſcã,
quoniam ſperaui in te. 22 Innocentes, & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſti-
nui te. 23 Libera, Deus Iſrael: ex omnibus tribulationibus ſuis.

PSALMVS XXV. Hebr. XXVI.

1 IVdica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum: &
in Domino ſperans non infirmabor. 2 Proba me, Domine, & tenta me:
vre renes meos, & cor meum.

3 Quo-

3 *Donorum inuenies semper meminisse tuorum,*
Hunc veritatis æmulum.
4 *Ipse in consilio non sedi vana secuto,*
Nec me scelestis addidi.
5 *Inuisos habui quos praui detinet ardor.*
Iniqua perpetrantium
Tecta nec ingredior, nec sum mea passus adiri
A fraudis inuentoribus.
6 *At lauo fonte manus, vt circum altaria purus*
Litante versor hostia.
7 *Vt Choream ducens tua facta insignia narrem,*
Cantuque laudes personem.
8 *Scis tua quàm viuis vrant me limina flammis*
Tuo dicata numini.
O adyta, ô templum Domini quo gloria factis
Seruatur immortalibus.
9 *Ne sequar ô Genitor mores quibus Optimè gentes*
Abominaris impias.
Nec me pœna reum maneat quæ cædis amicos
Non sera terris auferet.
10 *Quorum fraude manus vulgò temeraria sordet,*
Et dextra prensat munera.
11 *Vtq; per innocuos faciam vestigia calles*
Me tu misertus dirige.
12 *Nā pede quod stabili gradior, tibi sospes in ampla*
Vulgi corona dt feram.

PSALMVS XXVI.
Hebr. XXVII.

1 *LVx alma, certa Dominus est salus mihi;*
Timebo quem mortalium?
2 *Anima tuetur halitum spirabilis;*
Ecquis timores afferet?
3 *Meum ccibant expetentes sanguinem*
Siccis calentem faucibus.
4 *Hostes sed ipsis compediti retibus*
Hæsere quæ locauerant.

5 *Inimi-*

3 Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.
4 Non sedi cum cōsilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo.
5 Odiui Ecclesiam malignantium: & cum impijs non sedebo.
6 Lauabo inter innocētes manus meas: & circundabo altare tuum, Dñe.
7 Vt audiam vocē laudis: & enarrem vniuersa mirabilia tua.
8 Domine, dilexi decorem domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ.
9 Ne perdas cum impijs, Deus, animam meam: & cum viris sanguinum vitam meam.
10 In quorū manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.
11 Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei.
12 Pes enim meus stetit in directo: in ecclesijs benedicam te, Domine.

PSALMVS XXVI.
Hebr. XXVII.

1 DOminus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? 2 Dominus protector vitę meæ: à quo trepidabo? 3 Dum appropiant super me nocentes: vt edant carnes meas. 4 Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

5 Si

5 *Inimicus antè castra ponat horrida,*
Non ore cernam pallido.
6 *Belliq; tollat signa miles, obuiam*
Spe fretus ibo Numinis.
7 *Vna est meorum summa votorum, Deum*
Pro qua rogabo sæpius,
Eius habitanda detur vt domus mihi,
Dum vita corpus sustinet,
8 *Domini tuebor inde pulchritudinem*
Almique templi fabricam
9 *Tum me procellis temporum furentibus*
Abscondet in tentorio.
Adytisque tectum ponet in reconditis
Nulli timori peruium.
10 *Et eminenti collocabit arduum*
In arce rupis inuiæ:
Qui nunc acerbis hostium conatibus
Me fortiorem reddidit.
11 *Illius ad aras ergo votorum reus,*
Cùm ritè cædam victimas;
Tum laude tollam numen omni patrium,
Illique dicam carmina.
12 *Vocem misericors ô precantis accipe,*
Votis benignus annue.
13 *Sic fatur animus, Alme de te pendeo,*
Vultu supino amabilem
14 *Vultum requiro: verte ne faciem, tuum*
Ne me relinque supplicem.
15 *Rebus fuisti semper auxilium meis*
Ne vita me nunc despice.
16 *Nam si parentes deserunt, suum Deus*
Misertus orbum colliget.
17 *Mihi tuarum pande legum semitas*
Rectique calle dirige.
Securus omnes hostium nocentium
Sic negligam formidines.

18 Ne

5 Si consistāt aduersum me castra: non timebit cor meum.
6 Si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo.
7 Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnib' diebus vitę meę.
8 Vt videam voluntatem Domini: & visitem templum eius.
9 Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.
10 In petra exaltauit me: & nūc exaltauit caput meū super inimicos meos.
11 Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiā vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Dño.
12 Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamaui ad te: miserere mei, & exaudi me.
13 Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.
14 Ne auertas faciē tuam à me: & ne declines in ira à seruo tuo.
15 Adiutor meus esto, ne derelinquas me: neq; despicias me, Deus salutaris meus.
16 Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.
17 Legem pone mihi, Domine, in via tua: & dirige me in semita recta propter inimicos meos.

18 Ne

18 *Ne dede votis me sceleſtorum precor:*
Teſtes iniqui conuolant.
Mentita falſum crimen eſt Iniquitas
Aduerſus Innocentiam.
19 *Poſt tot labores duro ſi viuus, tibi*
Regnator alme debeo.
Me namque lætum credo viſurum bona
In patria viuentium.
20 *Deo virili fide mentis impetu,*
Honeſta facta perpetra.
Te roborari ſenties, ne deſice,
Sed corde fortis ſuſtine.

18 Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerũt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.
19 Credo videre bona Domini: in terra viuentium.
20 Expecta Dominum, viriliter age: confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

PSALMVS XXVII. Hebr. XXVIII.

1 *AD te recurro præſidium meum*
Rex alme, ſurdis ne precor auribus
Hæc pauca voluam, nam ſilentes
In tumulis imitabor vmbras.
2 *Orationem ſupplicis accipe,*
Dum voce placo te lacrymabili,
Dum pronus ambas ad dicata
Templa Deo tibi tollo palmas.
3 *Ne me profanis cœtibus implica,*
Ne cum cateruis perde nocentium:
4 *Verbis amorem qui loquuntur,*
Sed recoquunt fera corde bella.
5 *His iuſta factis præmia diuide,*
Quantum meretur tollat iniquitas:
6 *Reſpondeat merces labori,*
Vtilitas operas adæquet.
7 *Hos grande rerum non opus excitat*
In conditorem lumina tollere:
Non cuncta cernunt prouidentis
Arbitrio Domini moueri.
Ergo coruſcis ætheris æmulas
Subſtructiones ignibus erigant:
Nec ſtare prolem, nec ſuperbas
Omnipotens patietur arces.

8 Dic

PSALMVS XXVII. Hebr. XXVIII.

1 AD te, Dñe, clamabo, Deus meus, ne ſileas à me: ne quando taceas à me, & aſſimilabor deſcẽdentibus in lacum.
2 Exaudi vocem deprecationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.
3 Ne ſimul tradas me cum peccatoribus: & cũ operantibus iniquitatem ne perdas me.
4 Qui loquuntur pacẽ cum proximo ſuo: mala autem in cordibus eorum.
5 Da illis ſecundum opera eorum: & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum.
6 Secundũ opera manuum eorum tribue illis: redde retributionẽ eorum ipſis.
7 Quoniam non intellexerunt opera Domini: & in opera manuum eius deſtrues illos, & non ædificabis eos.

8 Bene-

8 *Dic audientem vox mea principem,*
9 *Qui me iuuanti numine protegit:*
Hunc cor manebat triste, casus
Hunc habuit clypeum per omnes.
10 *Hinc mersa letho vita refloruit,*
Iucunda pectus gaudia concipit;
11 *Agitque grates quòd salutem*
Attulerit tua dextra regi.

PSALMVS XXVIII.
Hebr. XXIX.

1 *QVisquis es armipotens & origine clarus auitâ,*
Mente lita Domino: teneros altaribus agnos
2 *Affer, & in laudes ora exultantia solue.*
Dic age maiestas & gloria numinis almi,
Cuius nulla satis colit obseruantia nomen.
Tranat inaccessi quicquid sinus ambit Olympi.
Flecte genu, cælumque videns, miratus adora
Incolit æternum qui tanti hæc atria templi.
3 *Vox Domini fundit grauidis è nubibus imbrem,*
Maiestate potens cùm detonat, aera rumpit;
Miscet aquas ventis, & tollit ab æquore ventos.
4 *It comes & virtus & magnificentia voci,*
5 *Siue iubet celsas conuelli à montibus ornos:*
Seu libanum cedris nudari, aut ludere montes
6 *Vt vituli saliunt, & Rhinocerotes in æuo*
Quo verni aspirat lasciuia mollior anni.
7 *Vox Domini trifidas rupto secat æthere flāmas:*
8 *Concutit arentes Arabis sitientis arenas:*
9 *Ante diem celerat ceruarum partubus aluum,*
Et spoliat nemorum folijs vmbracula demptis.
Ergo terra Deum pelago redimita sonante,
Aequor aquis tremulum, campi spirabilis auræ,
10 *Ignis, & astra canant. Orbem vaga protulit vnda*
Eius ab imperio. Sedet æternumque sedebit
Ille tamen, faciles hominum recturus habenas.

11 *Da*

8 Benedictus Dñs: quoniā
exaudiuit vocem depre-
cationis meæ.
9 Dominus adiutor meus,
& protector meus: & in
ipso sperauit cor meum,
& adiutus sum.
10 Et refloruit caro mea:
& ex voluntate mea con-
fitebor tibi.
11 Dominus fortitudo ple-
bis suæ: & protector sal-
uationum Christi sui est.
12 Saluū fac populū tuum,
Dñe, & benedic hæredi-
tati tuę: & rege eos, & ex-
tolle illos vsq; in æternū.

PSALMVS XXVIII.
Hebr. XXIX.

1 AFferte Domino filij
Dei: afferte Domi-
no filios arietum.
2 Afferte Dño gloriam, &
honorē: afferte Dño glo-
riā nomini eius: adorate
Dñm in atrio sancto eius.
3 Vox Domini sup aquas.
Deus maiestatis intonuit:
Dñs super aquas multas.
4 Vox Domini in virtute:
vox Dñi in magnificētia.
5 Vox domini confringen-
tis cedros: & confringet
dominus cedros Libani.
6 Et cōminuet eas tanquā
vitulū Libani: & dilectus
quēadmodū filius vnicorniū. 7 Vox Dñi intercidētis flammā ignis. 8 Vox
Dñi concutientis desertum: & commouebit Dñs desertum Cades. 9 Vox
Dñi preparantis ceruos, & reuelabit condensa: & in tēplo eius omnes dicent
gloriam. 10 Dñs diluuium inhabitare facit: & sedebit Dñs rex in æternum.

11 Domi-

11 *Da Genitor populo, veniunt si prælia, vires:*
Si pacem dederis, da lætum messibus annum.

PSALMVS XXIX.
Hebr. XXX.

1 *TE Genitor, quantũ possunt mea carmina, tollam*
Gelido seruatus ab Orco.
Nam neque læta meos hostes victoria laud it,
Per te neque gaudia narrant.
2 *Quippe tuum supplex votis cùm numen adirem,*
Rediji vis pristina membris.
3 *Tu bonus hanc animam stantē super aggere busti*
Vetuisti intrare sepulchrum.
4 *Vos Dominum cantate pij, memorate futuris*
Facilem miserescere seclis.
5 *Momentum indulget properatæ, vt puniat, iræ:*
Bonitati, vt sospitet, æuum.
6 *Tristia serus aquis rorabit lumina vesper,*
Surget cum sole voluptas.
7 *Cùm regerem populos tranquilla in pace quietos*
Gaza rex diues opima:
Nulla meam dixi turbabunt secula pacem,
Neque me de sede mouebunt.
8 *Tu patriæ munimen eras, tu gloria regni:*
Ego mente ferebar inani.
9 *At ne credulitas aleret temeraria fastum,*
Vertisti lumina retro.
Extemplo insolito vertit mea regna tumultu
Facies contraria rerum.
10 *Agnoui errorem, & supplex clamoribus egi,*
Propior, velut ante, redires.
11 *Est Pater vtilitas tua dixi, si meus vndet*
Extrema ad funera sanguis?
12 *Te cinis exanimus canet, aut sopita fidelem*
Testabitur vmbra sepulti?
13 *Audijt orantem miseratus, & attulit ægro*
Solatia dulcia vitæ.

14 Vertens

11 Dominus virtutem populo suo dabit. Dominus benedicet populo suo in pace.

PSALMVS XXIX.
Hebr. XXX.

1 EXaltabo te, Domine, quoniā suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.
2 Domine Deus meus, clamaui ad te: & sanasti me.
3 Domine, eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me à descendentibus in lacum.
4 Psallite domino, sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.
5 Quoniam ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius.
6 Ad vesperam demorabitur fletus: & ad matutinū lætitia.
7 Ego autem dixi in abundantia mea: non mouebor in æternum.
8 Domine, in volūtate tua: præstitisti decori meo virtutem.
9 Auertisti faciem tuam à me: & factus sum conturbatus.
10 Ad te, domine, clamabo: & ad Deum meum deprecabor.

11 Quæ vtilitas in sanguine meo: dum descendo in corruptionē? 12 Nunquid confitebitur tibi puluis: aut annuntiabit virtutem tuam? 13 Audiuit Dominus, & misertus est mei: dominus factus est adiutor meus.

14 *Vertens ergo meas lacrymas in gaudia, mœstum*
Trabea mutauit amictum.
15 *Alme parens ideo mea vox, mea nablia nunquam*
Te depositura silebunt.

PSALMVS XXX.
Hebr. XXXI.

1 *REx tibi ne fuerit spem commisisse pudori*
Eripe me valida iustus ab hoste manu.
2 *Attentam querulis inclina vocibus aurem,*
Ocyor, auertas vt mea damna, veni.
3 *Protege me, rupes hosti velut obuia nulli,*
Vt Domus hostili non penetranda metu.
4 *Nam mihi non aliæ stant altis mœnibus arces,*
Solus ades rebus turris abena meis.
Fama tui vastum decurret nominis orbem,
Me rege dux, vnum me pater vnus ales.
5 *Solue plagas, homines quas abscondere maligni,*
Nititur auxilio nam mea vita tuo.
6 *Hanc manibus commendo tuis, Pater accipe; vitā*
Alme soles pactam qui stabilire fidem.
7 *Intentos vmbris animos fallacibus odi,*
8 *Spes mea nam Dominum respicit vna suum.*
Huius ego felix bonitate ingentia quondam
Spero redundanti gaudia ferre sinu.
9 *Vidit vt immanes torquerent pectora curæ,*
Et bonus ætherea damna refecit ope.
10 *Cumq; fero nollet me succubuisse tyranno,*
Detulit arua meos in spatiosa pedes.
11 *O miserere, vides, quàm multa pericula turbent:*
Deficiunt oculi, corq; animusq; dolet.
12 *Vita petit nigras tenuata laboribus vmbras,*
In lachrymis anni præteriêre mei.
13 *Vis abijt, claræ discessit gratia formæ,*
Ossa reuulsa locum deseruere suum.

14 *Aemu-*

14 Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: cōcidisti saccum meum, & circūdedisti me lętitia.
15 Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

PSALMVS XXX.
Hebr. XXXI.

1 IN te, Domine, speraui, nō confundar in æternum: in iustificatione tua libera me.
2 Inclina ad me aurē tuam: accelera, vt eruas me.
3 Esto mihi in Deum protectorem, & in domū refugij: vt saluū me facias.
4 Quoniā fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomē tuū deduces me, & enutries me.
5 Educes me de laqueo hoc, quē absconderūt mihi: qm̄ tu es ꝓtector me*.
6 In manus tuas cōmendo spiritū meum: redemisti me, Dn̄e Deus veritatis.
7 Odisti obseruantes vanitates: superuacue.
8 Ego antē in Dn̄o speraui: & exultabo, & lætabor in misericordia tua.
9 Qm̄ respexisti humilitatem meam: saluasti de necessitatibus animā meam. 10 Nec conclusisti me in
manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos. 11 Miserere mei,
qm̄ tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.
12 Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus. 13 Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.

14 Super

14 *Aemulus irrisum quòd plurimus vndique cingat,*
Fugit ab aspectu turba propinqua meo.
15 *Et qui forte domus extra penetralia vidit,*
Alta, vel vt libuit cernuus ora tulit.
16 *Sicut humi positos humana obliuia condunt,*
Ex hominum pulsus sic ego corde fui.
17 *Amphora detrito spretus ceu fumea dorso*
A populo coram liberiore feror.
18 *Consilium dictis ineunt concordibus omnes,*
Scilicet inuisum me decuisse mori.
19 *Spe tamen interea non deficiente manebam,*
Cùm Pater, arbitrio stet mea vita tuo.
20 *Eripe me jaculis hostilibus, eripe turbæ,*
Ponè stet trepidos quæ violenta metus,
21 *Funde iubar, sancti radia me lumine vultus*
Et famulum Bonitas sospitet illa suum.
22 *O genitor fuerit ne te implorasse rubori,*
23 *Impia sed maculet decolor ora pudor.*
In stygio discant inuita silentia regno,
Conscia nunc omni fraude mouere dolos.
24 *Innocuis scelerum maculas infigere docta,*
Horribili tumidas voce sonare minas.
25 *O quã magna bonis, nunc condita, præmia seruas,*
Qui tua iussa colunt, qui tua iura timent!
26 *Quanta paras animis quibus es fiducia, gentes*
Aspicient oculis orbe fatente suis.
27 *Interea abscondes radiosi lampade vultus,*
Ne qua grauem tendat vis inimica manum.
28 *Aut templi sacris almi penetralibus abdes,*
Ne qua suâ vulnus cuspide lingua ferat.
29 *Ergo Deo meritas accingar dicere laudes,*
Me velut in tuta qui bonus vrbe locat.

30 *Dixe-*

14 Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde: & timor notis meis.
15 Qui videbant me: foras fugerunt à me.
16 Obliuioni datus sum: tanquam mortuus à corde.
17 Factus sum, tanquã vas perditum: quoniam audiui vituperationẽ multorum commorãtium in circuitu.
18 In eo dum conuenirent simul aduersum me: accipere animam meam consiliati sunt.
19 Ego autẽ in te speraui, domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.
20 Eripe me de manu inimicorum meorum: & à persequentibus me.
21 Illustra faciem tuam super seruum tuum: saluum me fac in misericordia tua.
22 Domine, nõ confundar: quoniam inuocaui te.
23 Erubescant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa.
24 Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem: in superbia, & in abusione.
25 Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine: quam abscondisti timentibus te.
26 Perfecisti eis, qui sperant in te: in conspectu filiorum hominum.
27 Abscondes eos in abscondito faciei tuæ: à conturbatione hominum.
28 Proteges eos in tabernaculo tuo: à contradictione linguarum.
29 Benedictus Dominus: quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.

30 *Dixerat hic animus cùm iam diffideret expers,*
Non eſt, affuerat quo Deus ore mihi.
31 *Attamen audiſti miſeratus ab æthere vocem,*
Sollicita peterem cùm prece feſſus opem.
32 *Sancti ardete Deum nam vera & iuſta requirens,*
Eruit vltrici facta ſuperba manu.
33 *Durate & validas in prælia ſumite vires.*
Vincere freta Deo ſpes animoſa ſolet.

PSALMVS XXXI.
Hebr. XXXII.

1 *FElix remiſit cui bonus arbiter*
Offenſionis debita noxiæ:
Et tecta velo obliuionis
Perpetuæ malefacta nubit.
2 *Delicta felix cui pater optimus*
Non imputauit; nec penetralibus
In cordis vllam deprehendit
Indecorem latuiſſe fraudem.
3 *Morbum ſilebat dum taciturnitas,*
Exæſtuabant oſſa doloribus:
Omnes agebam ſolis horas
In miſeris ideo querelis.
4 *Seu lux micabat, ſiue reconditum*
Velabat orbem noctis opacitas:
Tu me premebas æſtuantem
Triticeæ velut arua meſſis.
5 *Tum ſæua demum mens ſua vulnera*
Tibi reclufit: claudere deſtitit
Iniuſta cæcum facta pectus,
Et ſcelerum patefecit vlcus.
Hic me leuaſti factus amicitior,
6 *Aeterna ſoluens vincula criminum:*
Et quo ligatum me tenebat
Impietas ſceleroſa funem.
7 *Optat carentem ſordibus integer*
Quicunque vitam, te roget, vnicam
Te poſcat aram, dum facultas
Non prohibet tetigiſſe limen.

8 *Quod*

30 Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ: Proiectus ſum à facie oculorum tuorum.
31 Ideo exaudiſti vocem orationis meæ: dum clamarem ad te.
32 Diligite dominum, omnes ſancti eius, quoniam veritatẽ requirit Dominus: & retribuet abũdanter facientibus ſuperbiã.
33 Viriliter agite, & confortetur cor veſtrũ: omnes, qui ſperatis in Dño.

PSALMVS XXXI.
Hebr. XXXII.

1 BEati, quorum remiſſæ ſũt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.
2 Beatus vir, cui nõ imputauit Dominus peccatũ: nec eſt in ſpiritu eius dolus.
3 Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea: dum clamarem tota die.
4 Quoniam die, ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.
5 Delictum meum cognitum tibi feci: & iniuſtitiã meam non abſcondi.
6 Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiã meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.
7 Pro hac orabit ad te omnis ſanctus: in tempore opportuno.

8 Verum-

8 *Quod si litauit, dissociabili*
Fac pontus orbem proluat æquore,
Securus vndarum quieta
Ne variet facie colores.
9 *O ara semper rex mihi cælitum*
Præsens amico: lætior euehor
Per te, rigentes ceu catbenas
Qui rabidi fugiunt tyranni.
10 *Addamq; menti lumen amabile*
Inquis, docebo qua tibi semita
Est ambulandum, teq; euntem
Intuitu propiore cernam.
11 *Tantum monebo quadrupedantium*
Ne te ferinis moribus imbue;
Audire voces qui magistri
Depositis renuunt habenis.
12 *Freno & capistris ergo prementibus*
Ingrata parent ora, nec optimi
Sessoris agnoscunt amorem,
Nec Domini benefacta curant.
13 *Flagella tergum multa nocentium*
Manere certum est; Inuariabilem
Qui spem locarunt in Tonante,
Aetbereæ fauor ambit aulæ.
14 *Gaudete iusti quod fauor ætheris*
Vos tollit almi: pectora criminum
Ignara, vestram gratiore
Lætitiam memorate cantu.

8 Verumtamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

9 Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me: exaltatio mea, erue me à circundantibus me.

10 Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

11 Nolite fieri, sicut equus, & mulus: quibus non est intellectus.

12 In camo, & freno maxillas eorum cõstringe: qui non approximant ad te.

13 Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Dño misericordia circũdabit.

14 Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde.

PSALMVS XXXII.
Hebr. XXXIII.

1 *GEns casta, sanctis dedita legibus*
Attolle numen cantibus inclytum:
Fas est amicis æquitatis
Cælicolum memorare regem.
2 *Hunc tinnienti dicite barbito,*
Hunc nabliorum tollite vocibus:
Decem loquantur verberatis
Hunc citharæ fidibus canora.

3 Audita

PSALMVS XXXII.
Hebr. XXXIII.

1 EXultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio.

2 Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.

3 Cantate

3 Audita non dum carmina pangite,
Non vsitatis psallite cantibus:
Miscete voces quas recurua
Dat lituus sinnosus aluo.
4 Quæcunque dixit, non variabili
Ludo redibunt temporis irrita:
Quæcunque fecit stant ab æquo
Iustitiæ stabilita iure.
5 Attemperatum munificentia
Ius ille toto pectore diligit:
Fœcunda ridet terra cuius
Omnigenûm bonitate rerum.
6 Verbo ille campos fecit Olympicos,
Orisq; iussu sidera condidit;
Tam grata cælo, quàm futura
Luminibus speciosa nostris.
7 Effusa cinxit rupibus æquora,
Certisque lymphas sedibus occulit,
Quas inde promit cùm liquentes
Inferior sitit ora nimbos
8 Formidet illum machina pendulæ
Suspensa molis, quisquis & algidos
Septentriones, aut Eoa
Sub tepido colit arua Cancro.
9 A voce tanti Numinis, antea
Quæ non fuerunt nunc iubar hauriunt
Cælestis auræ, iussa frontem
A Nihili regione tollunt.
10 Hic acta versat consiliantium
Iniusta quo vult turbine gentium:
Iniqua plebes & tyranni
Quæ validi statuere, soluit.
11 Æternat omnis sed diuturnitas,
Decreuit almus quæ fore conditor:
Nec iussa menti fixa delet
Ludibrium fugientis æui.
12 Felix Olympi gens sibi præsidem
Sortita regem, quam propriam vocat
Hæreditatem, segregatum
Quam populum Deus ipse legit.

13 Sic

3 Cantate ei canticum nouum: bene psallite ei in vociferatione.

4 Quia rectum est verbum Domini: & omnia opera eius in fide.

5 Diligit misericordiam, & iudicium: misericordia Domini plena est terra.

6 Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

7 Congregans sicut in vtre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.

8 Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem cõmoueantur omnes inhabitantes orbem.

9 Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

10 Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorũ, & reprobat consilia principum.

11 Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione, & generationem.

12 Beata gens, cuius est Dominus Deus eius: populus, quem elegit in hereditatem sibi.

13 De

13 *Sic ex Adami semine posteros*
Regnator alto cernit ab æthere:
Siue occidentem, decolores
Siue tenent orientis oras.
14 *Stellante curas ex babitaculo*
Rimatur omnes, omnia lumine
15 *Per corda vadit perspicaci,*
Quæ sapiens fabricauit author.
16 *Non se tuetur rex legionibus,*
Non se gigantes robore protegunt:
Non qui volanti promptiores
Cornipedes Aquilone frenant.
17 *Fallit vehentem nobilis vngula,*
Euroque certans fallitur Alipes,
Non sæpe felix irruendo
Aut alias fugiendo turmas.
18 *Clemens amicos at Deus aspicit*
Spe, mente, votis, & prece supplices:
19 *Quos effugata morte nutrit,*
Quando fames populatur vrbes.
20 *Hunc mens anhelet feruida principem,*
Hunc speret vnum cùm mala detonant:
Qui stat bonorum pro salute
Indomiti clypeus rigoris.
21 *Illo fruemur præside gaudijs,*
Illius alma nominis anchora
22 *Ventos feremus: spes ab illo*
Accipiet bene flante Portum.

13 De cælo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.
14 De preparato habitaculo suo: respexit super omnes, qui habitant terram.
15 Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.
16 Non saluatur rex super multam virtutem: & gigas nō saluabitur in multitudine virtutis suæ.
17 Fallax equus ad salutē: in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur.
18 Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia eius.
19 Vt eruat à morte animas eorum: exaltat eos in fame.
20 Anima nostra, sustine Dominum: quoniam adiutor, & protector noster est.
21 Quia in eo letabitur cor nostrū: & in nomine sancto eius sperauimus.
22 Fiat misericordia tua, Dn̄e, super nos: quemadmodū sperauimus in te.

PSALMVS XXXIII.
Hebr. XXXIV.

1 *SIue quies orbem foueat gratissima, siue*
Procella vexet intonata fluctibus.
Cælicolum regem dicent mea carmina; laudes
Illi perennes os laborabit meum.
2 *Hæc animi fuerit Dominum cantare voluptas:*
Et turba mitis audiens lætabitur.
3 *Eia*

PSALMVS XXXIII.
Hebr. XXXIV.

1 BEnedicā Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. 2 In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur.

 3 Magni-

3 *Eia illum pariter gestu celebremus ouantes,*
Eiusq; nomen efferamus cantibus.
4 *Audijt è sæua me tempestate vocantem,*
Et quæ premebant depulit pericula.
5 *Hunc ardete pij, claro rutilabitis igne*
Nunquam pudoris obliti coloribus.
6 *En qui stelligerum clamauit in æthera pauper:*
Dominusq; voces inuocantis audijt.
7 *Eius ab æthere emissus volat Angelus arce,*
Numen timentes vt periclis arceat.
8 *Discite quo foueat iustos ardore, beatos*
Illos scietis esse qui fidunt Deo.
9 *Casti sacra pias tangat reuerentia mentes,*
Tunc ne pauori torua sit penuria.
10 *Esuriat soboles nunquam satiata leonum;*
At nulla sanctos torqueat necessitas.
11 *Pergite filioli verum me audite magistrum,*
Almi timorem vos docebo numinis.
12 *Siquis amat vitam lætis successibus auctam,*
Diesq; pacis si quietæ diligit.
13 *Hoc agat, inprimis ne fando nefaria dicat,*
Ne moliatur ore fallaci dolos.
14 *Improba ne faciat, curas meditetur honestas;*
Inquirat almæ grata pacis ocia.
15 *Innocuos oculis circum Deus aspicit æquis,*
Votis eorum blandus aures commodat.
16 *At sontes oculis obliqua tuentibus haurit,*
Eosq; nube contegit silentij.
17 *Innocuis facilem præbet clamantibus aurem,*
Omniq; tandem liberat molestia.
18 *Auxiliaris adest, animus cùm deficit expes,*
Humilesq; tollit adiuuando spiritus.
19 *Conturata fremunt circum discrimina iustos,*
Clypeo sed vltor cuncta depellit suo.

20 *Quorum*

3 Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipsum.
4 Exquisiui Dñm, & exaudiuit me: & ex omnib' tribulationib' meis eripuit me.
5 Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.
6 Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius saluauit eũ.
7 Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.
8 Gustate, & videte quoniã suauis est Dominus: beatus vir, q sperat in eo.
9 Timete Dominũ omnes Sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eũ.
10 Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.
11 Venite, filij, audite me: timorẽ Dñi docebo vos.
12 Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos?
13 Prohibe linguam tuam à malo & labia tua ne loquantur dolum.
14 Diuerte à malo, & fac bonũ: inquire pacẽ, & persequere eã.
15 Oculi Dñi super iustos: & aures eius in preces eorũ
16 Vultus aũt Dñi super facientes mala: vt perdat de terra memoriã eorũ.
17 Clamauerũt iusti, & Dñs exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationib' eorũ liberauit eos.
18 Iuxta est Dñs ijs, q tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit.
19 Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus liberabit eos Dñs.

20 Custo-

20 *Quorum lecta parens custodit prouidus ossa,*
Nec passus vnum vi malorum conteri.
21 *Auferet at sontes fortuna miserrima lethi,*
Iustum perosus stirpe cum tota cadit.
22 *Eximet omnipotens animos sua castra secutos.*
Nam spes in illo qui locant, non occidunt.

20 Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur.
21 Mors peccatorum pessima: & qui oderunt iustum, delinquent.
22 Redimet Dominus animas seruorum suorum: & non delinquent omnes, qui sperant in eo.

PSALMVS XXXIV.

Hebr. XXXV.

1 *IVdica tremende sæuos*
Perduelles Arbiter.
Inferentes bella, perde
Bellicosus æmulos.
2 *Parmulam tene sinistra,*
Sume dextra lanceam
In truces exurge pugnax
Miles aduersarios.
3 *Stringe ferrum, quo lacesse*
Persequentes impios.
Dic mihi periclitanti,
Sum tui custodia.
4 *Erubescant & tremiscant*
Molientes funera,
5 *Terga cum pudore vertant*
Qui nocere cogitant.
6 *Gluma qualis ante ventos*
Conuoluta funditur:
Sic eant, & incitante
Ventilentur Angelo.
7 *Nocte protegente cælum,*
Calle pergant lubrico,
Et ruentes pone vindex
Defatiget Angelus.
8 *Abdidere namq; lethum*
In paratis cassibus:
Innocentis euolare
Cogerent vt spiritum.

9 A suis

PSALMVS XXXIV.

Hebr. XXXV.

1 IVdica, Domine, nocētes me: expugna impugnantes me.
2 Apprehēde arma, & scutum: & exurge in adiutorium mihi.
3 Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me: dic animæ meæ, salus tua ego sum.
4 Confundantur, & reuertantur: quærētes animam meam.
5 Auertantur retrorsum, & confundantur: cogitantes mihi mala.
6 Fiant tanquā puluis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.
7 Fiat via illorum tenebrę, & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.
8 Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: superuacue exprobrauerunt animam meam.

9 Veniat

9 *A suis irretiantur]*
Ergo capti fraudibus,
Hauriantur deuorati
A sua voragine.
10 *Liberata vita dono*
Sempiterni numinis,
Efferet se prædicando
Quam salutem rettulit.
11 *Lingua, fauces, ossa, nerui,*
Pectus, & præcordia
Clamitabunt, ecquis audet
Se Deo componere?
12 *De manu potentiorum*
Ille tollit pauperem.
A rapinis ditiorum
Indigentes eripit.
13 *En iniqui falsa testes*
Mentiuntur crimina,
Inscienti quæ patrata
Peierantes imputant.
14 *Pro bonis accommodatis*
Afferunt incommoda:
Caritatem pro locata
Dant meorum copia.
15 *Flebiles iacere vidi*
Quos vt ægritudine,
Me dolentem veste totum
Induebam lugubri,
16 *Sordidatum macerabam,*
Corpus hoc ieiunijs
Vota feci quæ volebam
Vt mihi contingerent.
17 *Frater vt fratres adibam*
Charitate proximos.
Eiulabam ceu perempta
Stirpe mater eiulat.
18 *At meis illi in periclis*
Gestierunt gaudio.
In coronis flagra linguæ
Aggregarunt inscios

19 Diffi-

9 Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.

10 Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutari suo.

11 Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?

12 Eripies inopem de manu fortiorum eius: egenum, & pauperem à diripientibus eum.

13 Surgentes testes iniqui: quæ ignorabam interrogabant me.

14 Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.

15 Ego autem, cum mihi molesti essent: induebar cilicio.

16 Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinu meo conuertetur.

17 Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens, & contristatus sic humiliabar.

18 Et aduersum me læti sunt, & conuenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoraui.

19 Diffi-

19 *Dissipati & inquieti*
Histriones moribus,
Sauciarunt impetitum
Me caninis dentibus.
20 *Probra quando tot seuere*
Vltor intueberis?
Hanc ab immani leonum
Ore vitam protege.
21 *In frequenti te corona*
Plebis ornatissima
Confitebor esse vitæ
Ac salutis anchoram.
22 *Ne meis canant triumphum*
Perduelles cladibus.
Oderint frustra, malignis
Innuendo palpebris.
23 *Pacis hostes, velle fingunt*
Quam fugant concordiam.
Et quiescentes iniquâ
Fraude terras concitant.
24 *Ora porrigunt, & Euge*
Euge dicunt garruli:
Nostra tandem quæ volebant
Conspicantur lumina.
25 *Cernis hæc? ô alme Iudex*
Ne foue silentium.
Ne recede, ne relinque
Destitutum supplicem.
26 *Surge, ius meum tuere*
Numen ô amabile.
Pro clientis ô patrone
Lite causam iudica.
27 *In tuam cùm iudicaris*
Aequitatem respice,
Non habebunt vnde voti
Compotes irrideant.
28 *Mente secum nec loquentur,*
Euge tandem vicimus.
Præda nostris quæ tenetur
Retibus, vocabitur.

29 Eru-

19 Dissipati sunt, nec compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.
20 Domine, quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum: à leonibus vnicam meam.
21 Confitebor tibi in Ecclesia magna: in populo graui laudabo te.
22 Non supergaudeãt mihi, qui aduersantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.
23 Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ loquẽtes dolos cogitabant.
24 Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt, Euge, Euge, viderunt oculi nostri.
25 Vidisti, Domine, ne sileas: Domine, ne discedas à me.
26 Exurge, & intende iudicio meo, Deus meus: & Dominus meus in causam meam.
27 Iudica me secundum iustitiam tuam, Domine Deus meus: & non supergaudeant mihi.
28 Non dicant in cordibus suis, Euge, Euge, animæ nostræ: nec dicant deuorabimus eum.

29 Erubescant, & tremiscant,
Qui meis doloribus
30 Perfruuntur; ora tingat
His pudenda dedecus.
Qui suam meas ruinas
Arbitrantur gloriam.
31 Gaudeant & efferantur
Qui fauent innoxio.
Et suo canant amantem
Læta seruo principem.
32 Alme vindex, æquitatis
In tuæ præconia
Ora soluam, dum corusca
Astra sol obiuerit.

PSALMVS XXXV.
Hebr. XXXVI.

1 MEcum profanæ sæpe licentiæ
Dum voluo mores, sic statuo, Dei
Nunquam tremendum vindicantis
Ante oculos habuisse Numen.
2 Blanditur amens quippe nefariæ
Menti libido ne scelus abnuat:
Hinc magnus authorem nefandi
Flagitij Dominator odit.
3 Fraudes iniquas dicere callidus,
Occludit almæ cor sapientiæ;
Ne veritatis se coactum
Imperiis ad honesta flectat.
4 Aut in cubili noxia cogitat,
Aut tecta linquens deuia criminum
Per tesqua vadit, pestilenti
Nequitiæ data frena soluens.
5 Rex alme cæli templa benignitas,
Vltraq; nubes it tua veritas:
6 Tuæ æquitati dorsa montes,
Iudicijs mare subdit vndas.
7 Humana custos agmina sospitas.
Cunctisq; victum das animantibus:
O te scientem sponte vastum
Præsidijs recreare mundum.

8 Te

29 Erubescāt, & uereantur simul: qui gratulantur malis meis.
30 Induantur confusione, & reuerentia: qui maligna loquuntur super me.
31 Exultent, & lętentur, qui volunt iustitiam meam: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem serui eius.
32 Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam: tota die laudem tuam.

PSALMVS XXXV.
Hebr. XXXVI.

1 DIxit iniustus, vt delinquat in semetipso: Non est timor Dei ante oculos eius.
2 Quoniam dolosè egit in cōspectu eius: vt inueniatur iniqtas eius ad odiū.
3 Verba oris eius iniquitas, & dolus: noluit intelligere, vt bene ageret.
4 Iniquitaté meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non adiuit.
5 Domine in cælo misericordia tua: & veritas tua vsque ad nubes.
6 Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa.
7 Homines, & iumenta saluabis Domine: (quemadmodum multiplicasti misericordiā tuam, Deus.)

8 Filij

8 *Tegens Adami fessa laboribus*
Respectat vnum, tegmine scilicet
Velata vt alarum tumultus
Sollicitos fugias tuarum.
9 *Tu mortis illam legibus erutam*
Stellantis aulæ sedibus inferes:
Torrentis olim quam bibentem
Lætitiæ satiabis amne.
10 *Fons viuus illic diffluit alueo*
Vitæ perenni non variabilis:
Lumenq; fulget. quo videtur
Lux superi radiosa templi.
11 *Prætende castis mentibus interim,*
Tuæ fauorem munificentiæ:
Et corde rectis sempiternæ
Iustitiæ monumenta pande.
12 *Ne fastuosum me ferat insolens*
In castra ventis fœta superbiæ
Exempla turbæ ne profanæ
In scelerum sua regna ducant.
13 *Lethalis author criminis occidit,*
Per tuta rerum nescius ingredi:
Oberrat exul, semper albo
Instabilem pauit ore fortem.

8 Filij autem hominum: in tegmine alarum tuarum sperabunt.
9 Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.
10 Quoniã apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videmus lumen.
11 Prætẽde misericordiam tuam scientibus te: & iustitiam tuam his, qui recto sunt corde.
12 Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moueat me.
13 Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatẽ: expulsi sunt, nec potuerũt stare.

PSALMVS XXXVI.
Hebr. XXXVII.

1 *NE, licet alta petant, factis imitare malignos,*
Ne læta prauis inuide felicibus.
2 *Ocyus arescent viridis ceu gramina fœni,*
Hortiq; verna ceu comantis gratia.
3 *Spem committe Deo, molire laboribus æqua,*
Diuq; terras affluenter incoles.
4 *Sit Pater æthereus tua prima, & summa voluptas,*
Vt quæq; supplex flagitaris, annuet.
5 *Res omnes Domino si ceperis auspice, firma*
Sit spes, secundo prosperabit exitu.
6 *Virtutem auroræ similem radiare, tuiq;*
Dabit æquitatem iuris vt meridiem.

7 *Tem-*

PSALMVS XXXVI.
Hebr. XXXVII.

1 NOli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem.
2 Quoniam, tanquam fœnum, velociter arescent: & quemadmodum olera herbarum cito decident.
3 Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius.
4 Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.
5 Reuela Dño viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet. 6 Et educet quasi lumen iustitiã tuam: & iudiciũ tuum tanq̃ meridiem.

7 Subdi-

7 *Tempora fer tacitus successibus aspera duris,*
Deumq; castis flecte votis interim,
8 *Prospera, ne prauos, etsi lucet aura, sequaris,*
Ne molientes cuncta per libidinem.
9 *Iræ ne indulge, frenos ne immitte furori,*
Ne fortè liuor trudat in piaculum.
10 *Authores scelerum terris procul omnibus errant:*
Iusti paternis immorantur ædibus.
11 *Siste parum, nusquam sceleratum stare videbis,*
Nec ima cernes turrium vestigia.
12 *Longa manent homines pacatæ secula mentis,*
Aguntq; læti grata pacis ocia.
13 *Impius insonti per fraudem retia ponit,*
Fremensq; sæuis dentibus spirat minas.
14 *Consilia insani Deus at furialia ridet,*
In quem parari tela mortis imperat.
15 *Horridus immanem vaginâ liberat ensem,*
Totis ahenum lunat arcum viribus.
16 *Siue trucem dirâ mucronem vt cæde cruentet,*
Siue vt sagittis corde puros induat.
17 *Crudelis feriat sed lethifer ilia mucro,*
Neruoq; ducto fracta cornus euolet.
18 *Casta pij modicæ meliùs res limina seruant,*
Opes superbæ quàm scelestorum domos.
19 *Effera deficiunt iniustæ robora pubis,*
At semen auget Dominus insontum: quibus
20 *Consulit vt viuant placidè, seruentq; futuris*
Hæreditatem patriam nepotibus.
21 *Tempora cùm fuerint ardente obnubila bello:*
Ferri nec iras, damna nec famis trement.
Vni hominum duris è cælo in rebus alentur;
Sed interibit gens scelesta funditus.
22 *Tunc quoq; tergeminis cũ tanget honorib⁹ auras,*
Aruina flammis vt cremata diffluet.

23 Fœne-

7 Subditus esto Domino: & ora eum.
8 Noli ęmulari in eo, q̃ prosperatur in via sua: in homine faciente iniustitias.
9 Desine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari, vt maligneris.
10 Quoniã, qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominũ ipsi hæreditabũt terram.
11 Et adhuc pusillum, & nõ erit peccator: & quæres locũ eius, & nõ inuenies.
12 Mansueti aũt hæreditabunt terrã: & delectabuntur in multitudine pacis.
13 Obseruabit peccator iustum: & stridebit super eum dentibus suis.
14 Dominus autẽ irridebit eum: quoniam prospicit, quod veniet dies eius.
15 Gladium euaginauerũt peccatores: intenderunt arcum suum.
16 Vt decipiãt pauperem, & inopem: vt trucident rectos corde.
17 Gladius eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur.
18 Melius est modicum iusto: super diuitias peccatorum multas.

19 Quoniam brachia peccatorũ conterentur: confirmat autem iustos Dñs.
20 Nouit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum
erit. 21 Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabun-
tur: quia peccatores peribunt. 22 Inimici vero Domini mox vt honorifica-
ti fuerint, & exaltati: deficientes, quęmadmodum fumus, deficient.

23 Mutua-

23 *Fœnerat iniustus, nec donat egentibus vnquam,*
Iusto, vnde tribuat indigenti, suppetit.
24 *Et vir amans iusti natis sua prædia linquet,*
Iustum at perosus stirpe cum tota ruet.
25 *Ipse viri Dominus vestigia dirigit æqui,*
Amatq; vitæ quam probauit orbitam.
26 *At si forte cadit, non casu alliditur vllo:*
Manum cadenti quippe supponit Deus.
27 *Qui fueram iuuenis, senui: nullumq; recordor*
Pium relictum: vel piorum liberos
28 *Ante fores hominum surdas alimenta rogantes.*
Miseretur, imò commodat, donat pius.
Quin memor egregium Deus hac pietate fuisse,
Felice prolem ditat eius copia.
29 *Quæ documenta dabo vitæ meliora regendæ?*
Fuge praua, recta perpetra: viues diu.
30 *Diligit æqua Deus, sanctos non deserit, æui*
Spatia sequentis viuidi præteruolant.
31 *At qui iussa Dei temerant cælestia, pœnam*
Meritam recisi stirpe cum tota ferent.
32 *Cum sobole verum tota pius accolet orbem:*
Dum sol habenis ducet auratis diem.
33 *Nobilis ore pij casto Sapientia fatur:*
Eiusq; lingua fas & æquum disserit.
34 *Condita legis habet diuinæ in pectore iussa:*
Hinc non vacillat lubrico vestigio.
35 *Impius vt capiat iustum mouet omnia, cædis*
Et æstuosa flagrat impotentia.
36 *Vim prohibet Dominus, gladio seu lethifer instet*
Seu cogitatis litium calumnijs.
37 *Fide Deo, legemq; Dei complectere, sospes*
Honore clarus, diues, orbis incola.
38 *Aspicies obijsse malos. Ego surgere vidi*
Libani vt Cupressos arduas nefarium.

39 Dum

23 Mutuabitur peccator & non soluet: iustus autem miseretur, & tribuet.
24 Quia benedicentes ei hęreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.
25 Apud Dominum gressus eius dirigetur: & viam eius volet.
26 Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.
27 Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum: nec semen eius quęrens panem.
28 Tota die miseretur, & commodat: & semen illius in benedictione erit.
29 Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in sæculum sæculi.
30 Quia Dominus amat iudicium, & nō derelinquet sanctos suos: in æternum conseruabuntur.
31 Iniusti punientur: & semen impiorum peribit.
32 Iusti autem hæreditabūt terram: & inhabitabunt in sęculū sęculi super eam.
33 Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium.
34 Lex Dei eius in corde
ipsius: & nō supplantabuntur gressus eius. 35 Considerat peccator iustum:
& quęrit mortificare eum. 36 Dn̄s autem non derelinquet eum in manibus
eius: nec damnabit eum, cum iudicabitur illi. 37 Expecta Dn̄m, & custodi
viam eius, & exaltabit te, vt hęreditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis. 38 Vidi impiū superexaltatū, & eleuatū sicut cedros Libani

 39 Et

39 *Dum redeo iam nullus erat, qua sede maneret*
Dum quæro, vidi prima nec fundamina.
40 *Insontes aliter iustiq; , age respice, viuunt,*
Ipsi genusq; perfruuntur ocio.
41 *Iniusti fugiunt surgens velut æquore nubes,*
Similemq; proles sortietur exitum.
42 *Alma salus, veniet de cælo attollere iustos,*
Quos numen ambit dum procellæ detonant.
43 *Quos leuat auxilio, quos tempestatibus arcet,*
Et à profani liberat conatibus.
Quos dabit incolumes tandem contingere portum,
Cùm spes in illo rite collocauerint.

PSALMVS XXXVII. Hebr. XXXVIII.

1 *NE me furoris Arbiter*
Dum sumat æstus, argue,
Ne commerentem pallida
Dum feruet ira, corripe.
2 *Tuæ sagittæ viscera*
Ictu profundo sauciant,
Manusq; vulnus asperat
Nimis premendo luridum.
3 *Relinquit artus sanitas*
Iræ fugata turbine,
Bellantur ossa spiculis
Attacta conscientiæ.
4 *Iniquitates obrutum*
Feruntur vltra verticem,
Et molis instar plumbeæ
Gementis armos opprimunt.
5 *Obducta iam recruduit*
Nouo cicatrix vlcere,
Largeq; tabo diffluit,
Heu quòd mederi distuli.
6 *Miser gemensq; maceror,*
Totus dolendo complicor;
Incurua terga desero,
Mærendo soles exigo.

7 Con-

39 Et transiui, & ecce non erat:& quæsiui eum,& non est inuentus locus eius.
40 Custodi innocentiam, & vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.
41 Iniusti autē disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.
42 Salus autem iustorum à Domino:& protector eorum in tempore tribulationis.
43 Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos; & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos: quia sperauerunt in te.

PSALMVS XXXVII. Hebr. XXXVIII.

1 DOmine, ne in furore tuo arguas me:neque in ira tua corripias me.
2 Quoniā sagittæ tuæ infixę sunt mihi: & cōfirmasti super me manum tuam.
3 Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.
4 Quoniā iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum:& sicut onus graue grauatæ sunt super me.
5 Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ: à facie insipientiæ meæ.
6 Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

7 Quo-

7 *Contabuerunt ilia*
Turpi veneno tabida:
In parte nulla corporis
Apparet ægri sanitas.
8 *Sic pressus vsque maximis*
Et vsque damnis torqueor,
Vt cor leonum clamitet
De more rugientium.
9 *Aeterne rector adspicis,*
Mens ægra quæ desideret:
Non te latent abscondita
Vel vota, vel suspiria.
10 *Cor æstuosum fluctuat,*
Amissa virtus occidit,
Offusa nox horrescere
Videtur ante lumina.
11 *Omnes amici, & sanguinis*
Affinitate proximi
Stetêre contra, longius
Obfœda pulsi vulnera.
12 *Vni propinquent scilicet*
Hostes furore perciti:
13 *Dolosq; versant callidi*
A solis ortu ad Hesperum.
14 *At ore mutus adsui*
Et aure surdus interim:
15 *Par simplici qui nesciat*
Responsa pro se reddere.
16 *Anhela sed te vindicem*
Spes orat vt respondeas;
Curabis alme conditor
Vt ne facessat irrita.
17 *Precor meis ne casibus*
Se crudus hostis efferat;
Si pes vacillat, lubrico
Si nuto gressu, gestiet.

18 *Para-*

7 Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

8 Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

9 Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

10 Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

11 Amici mei, & proximi mei: aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.

12 Et qui iuxta me erant, de longe steterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

13 Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

14 Ego autem tanquam surdus nõ audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

15 Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

16 Quoniam in te, Domine, speraui: tu exaudies me, Domine Deus meus. 17 Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

18 *Paratus en ad verbera*
Morsu doloris aspero,
Correptus ægra surgere,
In terga vires horreo.

19 *Agnosco memet, crimina*
Ob perpetrata maceror;
Et ante vultus excubat
Imago culpæ lurida.

20 *Sed viuit hostis interim,*
Longeq; fit potentior:
Et me perosa maximis
Gens glíscit aucta viribus.

21 *Loco rependunt gratiæ*
Qui damna, de me detrahunt:
Calumniantur, orbitã
Quòd æquitatis ambulem.

22 *Ne me relinque deprecor*
O alme vindex: aspera
In hac procella temporum
Abire cessa longius.

23 *Festinus imò conuola*
Opemq; fer rogantibus,
Es namq; solus anchora
Meæ salutis vnica.

PSALMVS XXXVIII.
Hebr. XXXIX.

1 *RVmpere me tandem licet alta silentia victum,*
Hostis proterua cogeret loquacitas:
2 *Os inhibere tamen validis conabar habenis,*
Ne lingua verbis insolens offenderet.
3 *Sic tacui patiens, vt ne asperiora referrem,*
Amica premerem verba. Sed coercitus
4 *Corde ardente dolor magis æstuat; hic mea voluo*
Dum damna, creuit ignis impatiens tegi.
5 *Erupit tandem, & dixi pater optime, finem*
Quem das laborum? fare quid reliquũ est mihi?
6 *Quantum lenta dies aberit, qua tædia vitæ*
Miseræ iubebis luctuosa soluere?

7 Viuo

18 Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.
19 Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo ꝑ peccato meo.
20 Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me inique.
21 Qui retribuũt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.
22 Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris à me.
23 Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meæ.

PSALMVS XXXVIII.
Hebr. XXXIX.

1 DIxi, custodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea.
2 Posui ori meo custodiã: cum consisteret peccator aduersum me.
3 Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: & dolor meus renouatus est.
4 Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis.
5 Locutus sum in lingua mea: Notũ fac mihi, Domine, finem meum.

6 Et numerum dierum meorum, quis est: vt sciam, quid desit mihi.

7 Ecce

7 *Viuo dies numero breue quo mortalibus æuum*
Metiris, idq; pene te coram est nihil.
8 9 *Ille vt imago leuis, volucriq; simillimus vmbræ,*
Animum fatigat anxium laboribus.
10 *Aestuat infelix vt inutile congerat aurum,*
11 *Ignarus ecquid auferet. Quam spem sequor?*
Quid moror? vna tuis ô anchora numen amicis
Te nitar vno rege, de te pendeam.
12 *Crudeli à sceleris me solue tyrannide vinctum,*
Et ne impiorum dede ridendum gregi.
13 *Vt mutus silui, non ora in verba resolui,*
Tui ferebam cuncta iussa numinis.
14 *Verbera paulisper sed, quæso, dura quiescant*
Nam te imprimente flagra, vix animam traho.
Tu plagis hominem peccantem vltricibus vrges,
15 *Tabescit impar ille sicut aridæ*
Aut tineæ, aut fragilem quæ ponit aranea telam
Homo est profecto bulla, vel bulla minus.
16 *Audi sancte Parens orantem, hunc adspice fletũ,*
Ne torua retro verte quæso lumina.
17 *Viuo peregrinus, sum terræ in sedibus hospes*
Mei fuerunt vt parentes aduenæ.
18 *Ergo fer hanc animam blanda vt refrigeret aura,*
Vadat priusquam, regredi vnde non licet.

PSALMVS XXXIX.
Hebr. XL.

1 *SPerabam Domini rebus in asperis*
Succurrentis opem tristis, ab aureo
Cæli vertice tandem
Oranti bonus annuit.
2 *Aurem sollicitis questibus applicans*
Immersum barathro sustulit algidæ
E nigrante lacuna,
Ac cæni scrobe sordidi.

3 *Rupem*

7 Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tanquam nihilum ante te.
8 Veruntamẽ vniuersa vanitas: omnis homo viuẽs.
9 Veruntamen in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatur.
10 Thesaurizat: & ignorat cui congregabit ea.
11 Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? & sub[s]tantia mea apud te est.
12 Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti mihi.
13 Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti: amoue à me plagas tuas.
14 A fortitudine manꝰ tuæ ego defeci: in increpationibus propter iniquitatẽ corripuisti hominẽ.
15 Et tabescere fecisti sicut araneam animã eius: veruntamen vane conturbatur omnis homo.
16 Exaudi orationem meã Domine: & deprecationem meam auribus percipe, lacrymas meas.
17 Ne sileas, quoniam aduena ego sum apud te: & peregrinus sicut omnes patres mei. 18 Remitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam: & amplius non ero.

PSALMVS XXXIX. Hebr. XL.

1 EXpectans expectaui Dominum: & intendit mihi. 2 Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis.

 3 Et

3 *Rupem constituit me super inuiam*
4 *Gressus ille regens: vt canerem suas*
Laudes, os animauit,
Inspirans noua carmina.
5 *Hæc multi aspicient numinis inscij,*
Attactiq; sacris relligionibus,
Se committere discent
Aeternæ sapientiæ.
6 *O felix animi, respicit efficax*
Cuius spes Dominum: si neq; vanitas
Fastu lactat inani
Nec vecordia decipit.
7 *Sunt exempla tuæ munificentiæ*
Quàm miranda parens? Ecquis amicior
Gratas nutrit amoris
Curas in sua pignora?
8 *Conabar patriæ sollicitudinis*
Enarrare vices: innumerabili
At summâ stetit ipso
In cursu labor irritus.
9 *Cultris cæsa nihil cùm iuuet hostia,*
Aurem vellit amans & docet elui
10 *Nullius scelus arâ*
Tinctâ sanguine victimæ.
11 *Tum dixi, En venio: namq; prioribus*
Arcani tabulis esse voluminis
Inscriptum scio, iussa
Vt primus tua persequar,
Huc me vota ferunt, in penetralibus
Legem quippe tuam pectoris occulo:
12 *Et latè cano laudes*
Præco Iustitiæ tuæ.
In magnis populi cœtibus eloquar,
Non claudo labijs ora silentibus:
Nosti, sit tua curæ
Vni quàm mihi gloria.
13 *Non te præterij fontibus asperum,*
Mitem supplicibus: pacta clientibus
Certum reddere: opemq;
Promptum ferre iacentibus.

14 *Per*

3 Et statuit supra petram pedes meos: & direxit gressus meos.
4 Et immisit in os meum canticum nouum: carmē Deo nostro.
5 Videbunt multi, & timebunt: & sperabunt in Domino.
6 Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.
7 Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi.
8 Annuntiaui, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.
9 Sacrificium, & oblationem noluisti: aures autē perfecisti mihi.
10 Holocaustū & pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio.
11 In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatē tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.
12 Annūtiaui iustitiā tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.
13 Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi.

14 Non

14 *Per me nec bonitas nec tua veritas*
Conduntur tacita nube silentij:
In congressibus ambas
Euulgo popularibus.

15 *Ne clemens igitur me pater exige,*
At custos bonitas, almaq; veritas
Seruent: vtraq; pellat
Casus exitiabiles.

16 *Circum mille fremunt damna, sonantium*
Examen scelerum perstrepit auribus.
Quæ discernere nullo
Possum mentis acumine.

17 *Nec tam densa pili tempora vestiunt,*
Quam mens victa malis ingeminantibus,
Succumbit, vigor vnde
Lassi pectoris effugit.

18 *His ô me Genitor cladibus eripe,*
Et tandem placido numine respice:

19 *Atqui lugubre vitæ*
Optant exitium meæ,

Fœdis ora rigent vncta coloribus.
20 *Vertant terga fugæ: nec mihi vocibus*
21 *Dicant Euge superbis.*
En hostem superauimus

22 *Qui te suscipiunt, se pater efferant,*
Tranquillis agitent gaudia mentibus:
Acclament Pater omni
Flore laude salutifer.

23 *Et si pauperies durior opprimat,*
Nunquam confitear me tamen indigum:
Sat sum diues, Olympi
Si me Conditor adspicis.

24 *O spes ô dubijs temporibus salus*
Vitæ dulce mihi præsidium, veni:
Nosti quàm sit acerba
Speranti mora pectori.

PSAL-

14 Non abscondi misericordiam tuam: & veritatē tuam à cōcilio multo.
15 Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas à me: misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me.
16 Quoniam circundederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, vt viderem.
17 Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.
18 Complaceat tibi, Domine, vt eruas me: Domine, ad adiuuandū me respice.
19 Confundantur, & reuereantur simul, qui quærunt animam meam: vt auferant eam.
20 Conuertātur retrorsum, & reuereantur: qui volūt mihi mala.
21 Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt mihi, Euge, Euge.
22 Exultent, & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.
23 Ego aūt mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei.
24 Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.

PSAL-

PSALMVS XL.
Hebr. XLI.

1 *HVmilem beatus pauperem qui pectore*
Intelligenti respicit.
Animoq; reputat nunc egentem, mox fore
Volente cælo diuitem.
2 *Deus hunc ab omni liberum periculo,*
Iniuriaq; temporum.
Diu beatum, sospitem, plenum dabit
Felicis affluentiæ.
Formidolosæ nec relinquet hostium
Immanium libidini.
3 *Recreabit ægrum, sternet infirmo torum,*
Mali dolorem molliet.
Languoris artus flamma cùm depasceret,
4 *Precatus alme conditor*
Animæ salutem, parce dixi, langueo
Te nempe quòd offenderim.
5 *At sæuus hostis interim me Tartaro*
Sic imprecando, destinat.
Hunc ora quando mortis illætabilis,
Eiusq; nomen auferet?
6 *Ingressus vt me viseret, suspirijs*
Immugijt fallacibus.
At ex atroce cœpit ægritudine
Ridente cordi gaudium.
7 *Etenim regressus, quam tenebat pectore*
Nudauit ore gratiam.
8 *Inimica iungit turba se, clam mussitant,*
Clam dira de me cogitant.
9 *Hunc ira, dicunt, torquet vltoris Dei:*
Habendus est pro mortuo.
Tam surget hic de lectulo, cadauera
Quàm de sepulchri sedibus.
10 *Amicus etiam cuius in fide meam*
Spem collocaui, particeps
Mensæ, larisq; me, necessitudinis
Oblitus, vrget calcibus.

11 *At*

PSALMVS XL.
Hebr. XLI.

1 BEatus vir, qui intelli-
git super egenum, &
pauperem: in die mala li-
berabit eum Dominus.
2 Dominus cõseruet eum,
& viuificet eum, & bea-
tum faciat eum in terra:
& non tradat eum in ani-
mam inimicorum eius.
3 Dominus opem ferat illi
super lectũ doloris eius:
vniuersum stratũ eius ver-
sasti in infirmitate eius.
4 Ego dixi, Domine, mise-
rere mei: sana animam
meam, quia peccaui tibi.
5 Inimici mei dixerũt ma-
la mihi: quãdo morietur,
& peribit nomen eius.
6 Et si ingrediebatur, vt vi-
deret, vana loquebatur:
cor eius congregauit ini-
quitatem sibi.
7 Egrediebatur foras: & lo-
quebatur in idipsum.
8 Aduersum me susurrabãt
omnes inimici mei: ad-
uersum me cogitabant
mala mihi.
9 Verbum iniquum consti-
tuerunt aduersum me:
nunquid qui dormit, non
adijciet, vt resurgat?
10 Etenim homo pacis
meæ, in quo speraui, qui
edebat panes meos: ma-
gnificauit super me sup-
plantationem.

11 Tu

11 *At tu misericors rector alme, pristinis*
Me redde quaeso viribus.
12 *Dabo quae dederunt. Hoc erit pignus tui*
Amoris optatissimum;
De me subacto perduellis insolens
Si non triumphos egerit.
13 *Tuere Genitor propter innocentiam,*
Ac ante pone lumina.
14 *Vt te nepotes Isaci colunt Deum,*
Sic totus orbis eueh at.
Dum nox opacat, luciferq; noctibus
Clarat fugatis aethera:

11 Tu autem, Domine, miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.
12 In hoc cognoui, quoniã voluisti me: quoniam nõ gaudebit inimicus meus super me.
13 Me autem propter innocentiam suscepisti: & cõfirmasti me in conspectu tuo in aeternum.
14 Benedictus Dñs Deus Israel à saeculo, & vsque in saeculum: fiat, fiat.

LIBRI PRIMI FINIS.



H LVDO-




LVDOVICI CRVCII OLYSIPPONENSIS SOCIETATIS IESV.

IN LIBRVM PSALMORVM INTERPRETATIONIS POETICAE LATINE,

Liber Secundus.

PSALMVS XLI.

Hebr. XLII.

1 ICVT *agens animam ceruus desiderat amnes,*
Sic tua Rex hominum cor sitit ora meum.
2 *Te sitio viuum Deus ô fortissime numen:*
sunt *Vsnt tua quando oculis templa videnda meis?*
3 *Pro lautis habui lacrymarum pocula mensis,*
Sole ferente diem, nocte fugante diem.
Talibus insultans dum sæpius increpat hostis:
Dic vbi quæue tuum detinet ora Deum?
4 *Hæc memorans animæ laxabam fræna dolenti*
At desiderijs sic vacat illa suis.
Scilicet arcani quando ô tentoria templi,
Ingrediar Domini limina quando mei?

5 *Quæ*

PSALMVS XLI.

Hebr. XLII.

1 QVemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarũ: ita desiderat anima mea ad te, Deus.
2 Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam,& apparebo ante faciem Dei?
3 Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie,vbi est Deus tuus?
4 Hæc recordatus sum, & effudi in me animã meã: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsq; ad Domũ Dei.

5 In

5 *Quæ mecum populus choreis hilaratus adibat,*
Et quali trepidat gens epulata sono.
6 *Cur anime ô tristes versas exercite curas?*
Cur mihi solliciti causa timoris ades?
7 *Imple vela Deo, patriæ nam redditus, illi*
Victor adhuc laudes & tua vota feram.
8 *His licet absentem tristis solabor amorem,*
Dum memor exilij tempora longa tero.
Iordanis scopulos dum vasti inglorius erro:
Dum sequor Hermonium dorsa minora iugum.
9 *Vna ruens alium tempestas attulit imbrem,*
Ceu polus effusis cùm fluit asper aquis,
10 *Me super è cælo multi cecidere timores,*
Aeris irati detonuere minæ.
11 *Hæc Pater eöo sed nubila sole fugasti:*
Et mea te cecinit nocte manente lyra.
12 *Exul, inops, supplex nunc dicam in rebus egenis,*
Præsidium vitæ dulce salusq; meæ:
13 *Cur tam longa mei toleras obliuia? quare*
Ire laborantem tot patiere malis.
14 *Dum ferit his animum, velut ossa reuelleret hostis,*
Et per ludibrium talia sæpe rogat.
15 *Heus age si profugus cælesti à numine pendes,*
Dic vbi, quæue tuum detinet ora Deum?
16 *Cur anime ô tristes versas exercite curas?*
Cur mihi solliciti causa timoris ades?
17 *Imple vela Deo, patriæ nam redditus, illi*
Victor adhuc laudes & tua vota feram.

PSALMVS XLII.
Hebr. XLIII.

1 *ARbiter iurisq; custos*
Me quærentem vindica
Et tuo defende causam
Innocentis robore.
Fraudulenti deprecare
Litigantis impetum. 2 *Si*

5 In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.
6 Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?
7 Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vult᷑ mei, & Deus meus.
8 Ad me ipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonij à monte modico.
9 Abyssus abyssũ inuocat: in voce cataractarũ tuarum.
10 Omnia excelsa tua, & fluctus tui: super me trãsierunt.
11 In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius.
12 Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, susceptor meus es.
13 Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?
14 Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerũt mihi qui tribulant me inimici mei.
15 Dum dicũt mihi per singulos dies, vbi est Deus
tuus? 16 Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? 17 Spera in
Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

PSAL. XLII. Hebr. XLIII.

1 IVdica me, Deus, & discerne causam meã de gente nõ sancta: ab homine
iniquo, & doloso erue me.

 2 Quia

2 *Si mihi munitionis*
Instar es tutissimæ,
Cur repellor? cur dolore
Te ferente differor?
Cur ab hoste cogor omnes
Ferre contumelias?
3 *O tuæ iubar refunde*
Veritatis aureum.
Aequitatis ora castæ
Pande lucidissima.
Me duces hi montis alma
Deferent in culmina.
In tuæ diuinitatis
Templa ducent conscia.
4 *Et vigentis introibo*
Vsq; ad aram Principis
Quo iuuante quo fouente
Lætus annos exigam.
5 *Plectra quam meo loquentur*
Verberata pectine.
Ergo quare tristis hæres
Mens amica fletibus?
Cur tuis me defatigas
Amplius suspiriis?
6 *Spem tuere: namq; voti*
Compos olim, gratias
Debitas agam Tonanti
Restitutus patriæ.

PSALMVS XLIII.
Hebr. XLIV.

1 *Viuit adhuc operum Deus inclyta fama tuorum,*
Quam proaui seros nos edocuere nepotes.
2 3 *Scilicet vt quondam tua dextra videntibus ipsis*
Eruerit populos natali à sede fugatos,
Poneret vt nostræ firma incunabula genti.
4 *Non ferro armati, non illi viribus hostem*
Infregere suis, habuere aut præmia belli
Vrbes, indigenæ quas fundauere coloni.

5 *Sed*

2 Quia tu es, Deus, fortitu-
do mea, quare me repuli-
sti? & quare tristis ince-
do, dum affligit me ini-
micus?
3 Emitte lucē tuam, & ve-
ritatem tuā: ipsa me de-
duxerunt, & adduxerunt
in montem sanctū tuum,
& in tabernacula tua.
4 Et introibo ad altare Dei:
ad Deum qui lętificat iu-
uentutem meam.
5 Confitebor tibi in citha-
ra, Deus, Deus meus qua-
re tristis es anima mea?
& quare conturbas me?
6 Spera in Deo, quoniam
adhuc confitebor illi: sa-
lutare vultus mei, & Deus
meus.

PSALMVS XLIII.
Hebr. XLIV.

1 Deus auribus nostris
audiuimus: patres
nostri annuntiauerūt no-
bis.
2 Opus, quod operatus es
in diebus eorū: & in die-
bus antiquis.
3 Manus tua gentes disper-
didit, & plantasti eos: af-
flixisti populos, & expu-
listi eos.
4 Nec enim in gladio suo
possederunt terram: &
brachium eorum nō sal-
uauit eos.

5 Sed

5 *Sed tua vis Genitor, tua sola potentia fractos*
Extulit Isacidas, magno quod amore fouebas.
6 *Regnator numenq; mihi, tu semina custos*
7 *Iacobi defendis aui. Te robur in hostes*
Dante, gigantæos, pellemus, in æthera, contis,
Vt resupina leuant taurorum cornua frondes.
Nominis auspicio calcabimus effera regum
8 *Colla tui, nec enim fragilem confidimus arcum,*
Aut habiles gladios vitam imperiumq; daturos.
9 *Te duce belligeris seruati è gentibus, ipsos*
Accelerare fugam, & pallentia vidimus ora.
10 *His adeo meritis, ornant dum sidera mundum*
O Pater, Isacidum semper memorabere cantu.
11 *At nunc deserimur victi, nec bellica ductor*
Signa, velut quondam regni penetralibus effers.
12 *Proiectis ad terram armis en terga fugati*
Vertimus, & spolijs hostem ditamus ouantem.
13 *Vt timidæ iugulamur oues, aut visere capti*
Diuersa exilia, & diuersas cogimur oras.
14 *Te verò populum iuuit posuisse sub hasta*
In capita exiguos pactum seruilia nummos.
15 *Vicinæ miseri trahimur ludibria terræ;*
Pascitur illa malis, risumq; à cladibus haurit.
16 *Nos ignominiæ tanquam simulacra lacessunt*
Finitimi, nictant oculis, & tempora quassant.
17 *En vt continuis mæsti rubuere pudoris*
Ora notis: signat probrosa iniuria frontem,
18 *Dum clades alius verbis inimicus acerbat:*
Relliquijs alius ferrum excidiumq; minatur.
19 *Tot miseri damnis, tot tempestatibus acti,*
Alme tamen genitor non te obliuiscimur vnum.

20 Non

5 Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacui in eis.
6 Tu es ipse rex meus, & Deus meus: qui mandas salutem Iacob.
7 In te inimicos nostros ventilabimus cornu: & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.
8 Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non saluabit me.
9 Saluasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti.
10 In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæculum.
11 Nunc autem repulisti, & confudisti nos: & non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.
12 Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos, diripiebant sibi.
13 Dedisti nos tanquam oues escarum: & in gentibus dispersisti nos.

14 Vendidisti populum tuum sine pretio: & non fuit multitudo in com-
mutationibus eorum. 15 Posuisti nos opprobrium inimicis nostris: sub-
sannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro. 16 Posuisti nos
in similitudinem gentium: commotionem capitis in populis. 17 Tota
die verecundia mea contra me est: & confusio faciei meæ cooperuit me.
18 A voce exprobrantis, & obloquentis: à facie inimici, & persequentis.
19 Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te: & inique non egi-
mus in testamento tuo.

20 *Non mutata fides animi tua fœdera soluit;*
Ritil us aut a'iis, alijs aut callibus imus
21 *Interea exulibus non oppida mitia præbes,*
Sed malè pacatis habitata draconibus antra,
22 *Vt viui iam busta colant. Si nomen auiti*
Immortale Dei taciti mandauimus vmbris,
Si noua sustulimus geminas ad numina palmas,
23 *Nonne recognosses qui nosti abscondita mentis?*
24 *Barbara te propter feritas nos deuouet orco.*
Et veluti sacræ pecudes seruamur ad ignes.
25 *Quid somno indulges, aut indulgere videris?*
Surge Parens, etenim quid damna extrema tuorum
26 *Negligis? auerso quid torques lumina vultu?*
Nec tibi pauperies, nec sunt tot vulnera curæ?
27 *Afflicti vitam in tenebris, in puluere busti*
Ducimus, ad terram defecti viribus imus.
28 *Surge Pater, miseros, si non meruere leuari,*
Alme tui saltem pro nominis erige fama.

PSALMVS XLIV.
Hebr. XLV.

1 *ERuctat cor læta meum: præcórdia magno*
Parturiunt fœcunda bono: mea dicere regi
2 *Carmina fert animus. Fando volet excita lingua,*
Et linguam calamus scribendo celerrimus æquet
3 *O super eximios hominum pulcherrime natos,*
Ipsa tui speciem cùm gratia fingeret oris,
Purpureis roseum labijs adflauit honorem.
At Pater æthereus regnum tibi destinat orbis,
Nec metam factis, nec sceptro tempora ponit.
4 *Ergo ingens animis, etiam bellator in armis*
5 *Cinge latus gladio, formaq; & robore victor*
Alipedes iuncto scande in certamina curru.

6 Fræna

20 Et nõ recessit retro cor
nostrum: & declinasti semitas nostras à via tua.
21 Quoniã humiliasti nos
in loco afflictionis: & cooputt nos vmbra mortis.
22 Si obliti sumus nomen
Dei nostri: & si expandimus manus nostras ad
Deum alienum.
23 Nonne Deus requiret
ista? ipse enim nouit abscondita cordis.
24 Quoniam propter te
mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues
occisionis.
25 Exurge, quare obdormis, Domine? exurge, &
ne repellas in finem.
26 Quare faciẽ tuam auertis? obliuisceris inopiæ
nostræ, & tribulationis
nostræ?
27 Quoniam humiliata est
in puluere anima nostra:
conglutinatus est in terra venter noster.
28 Exurge, Domine, adiuua nos: & redime nos
propter nomen tuum.

PSALMVS XLIV.
Hebr. XLV.

1 ERuctauit cor meum
verbum bonum: dico
ego opera mea regi.

2 Lingua mea calamus scribæ: velociter scribentis. 3 Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. 4 Accingere gladio tuo super femur tuum: potentissime. 5 Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna.

6 Pro-

6 *Fræna tibi verum, Ius, & clementia ducent,*
Ocyor aurigis liquidum quibus æthera tranes.
7 *Tunc noua cædendo rerum tua dextera monstra,*
Attonitas pauida soluet formidine terras.
Indomitos rigido populos iaculaberis arcu,
Lethales adigens per corda hostilia pennas.
8 *Tu Deus æterno solio mederabere mundum*
9 *Iustitiæ nam sceptra geres. Quod scilicet olim*
Iuris amans, curuas praui insectaberis artes
Nate Deo, super æquæuos pater vnget oliuo:
Lætitiæ æternæ insignum, regniq; futuri.
10 *Vestibus aspirans in versicoloribus halat*
Myrrha tuis, stactæ lachrymæ, casiæq; rubentes
Exhilarant, loculis quando tibi dantur eburnis.
Astabunt famulæ claris à regibus ortæ
Vt tua cùm fuerint iussæ mandata capessant.
11 *At regina tibi vinclo sociata iugali*
Dextera erit, flauos auri diademate crines,
Ardentem vario chlamydem circundata limbo.
12 *O audi me nata, vide, rem pectore serua:*
Connubio tanti sancto decorata mariti
Pone tuos animo patrios oblita penates.
13 *Ille autem paribus curis æquabit amorem,*
Quamuis dignus erat, posito quem poplite regem
Serua colas, numenq; tuum mortalis adores.
14 *Tunc aliæ venient famulæ; tibi munera supplex*
Afferet emenso reflui Tyros æquore ponti:
Et qui diues arat terram, & qui nauigat vndas.
15 *Maior in interno quamuis sit gloria cultu,*
En formosa tamen procedit filia regis
Errantis variè redimita laboribus auri.
16 *Illa suo fulgens en sponso adducitur vxor*
Virginibus stipata suis: En sanguinis illam
Eiusdem nymphæ sociæ comitantur euntem.
17 *Applaudunt aliæ manibus, choreasq; sonantes*
Ad numeros aliæ ducunt, ad tympana saltant:
Ac thalami auratis subeunt penetralia velis.

18 *O regi-*

6 Propter veritatē, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.
7 Sagittæ tuę acutę (populi sub te cadent:) in corda inimicorum regis.
8 Sedes tua, Deus, in sæculum sęculi: virga directionis virga regni tui.
9 Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitię pręconsortibus tuis.
10 Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te filię regum in honore suo.
11 Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato: circundata varietate.
12 Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.
13 Et concupiscet rex decorem tuum: quoniā ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.
14 Et filiæ Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.
15 Omnis gloria eius filiæ regis abintus: in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.
16 Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.
17 Afferentur in lætitia, & exultatione: adducentur in templum regis.

18 Pro

18 *O r gina tues ne iam reminiſcere patres,*
Nam tibi ſelici naſcetur origine proles,
Regnatum iubeas quam ponere iura per orbem
19 *Fortunata nimis, quantum mea carmina poſſunt,*
Te celebrem faciam ventura in ſecula matrem.
20 *Te populi aſpicient, & dum flammantis anheli*
Solis equi rutilum ſpirarint naribus ignem.
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

PSALMVS XLV.
Hebr. XLVI.

1 *ARs mihi, virtuſq; ; meæ Deus anchora vitæ,*
Vndiq; terribiles quàm petiere minæ:
2 *Per te nil metuo; quamuis exterrita montes*
In medium videat terra volare fretum.
3 *Inſonuere noti, fremuerunt æquora ponti,*
Culmina montanis exiluere iugis.
Oppida terrificos timuere hos cætera motus
Non timuere tamen pergama ſacra Deo.
4 *Pergama lætitiæ quæ præterlabitur amnis,*
Numine ſic aras nobilitante ſuas.
5 *Excubat in medio Deus, hinc timor effugit omnis:*
Ante fugat regum quam metuantur opes.
6 *In nos finitimas acuat diſcordia gentes,*
Regna fremant, Domino regna loquente cadent.
7 *Qui regit æratas acies, & prælia nutu.*
Iſacidum noſter Dux tegit ille domum.
8 *Confluite, æterni miracula cernite regis,*
Sub quocunq; vagi viuitis axe poli.
Triſtis inhumanas belli compeſcuit iras,
Solis ad extremam cuncta videntis humum.
9 *Letiferos arcus, & tela nocentia franget,*
Scuta pij flammis vret ahena rogi.

10 *Terri-*

18 Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.
19 Memores erunt nominis tui, Domine: in omni generatione, & generationem.
20 Propterea populi confitebũtur tibi in æternum: & in ſæculum ſæculi.

PSALMVS XLV.
Hebr. XLVI.

1 DEus noſter refugium, & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.
2 Propterea non timebimus, dũ turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.
3 Sonuerũt, & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine eius.
4 Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: ſanctificauit tabernaculũ ſuum altiſſimus.
5 Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo.
6 Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, &
mota eſt terra. 7 Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus
Iacob. 8 Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella vſque ad finem terræ. 9 Arcum conteret, & confringet arma: & ſcuta comburet igni.

10 Vacate,

10 *Terrigenæ his signis, atq; hæc exempla secuti,*
Cernite, numen ait, meq; vocate Deum.
Magnus ero domitis princeps in gentibus olim,
Et quem nunc refugit tunc pia terra colet.
11 *Qui regit æratas acies, & prælia nutu,*
Isacidum noster dux tegit ille domum.

PSALMVS XLVI.
Hebr. XLVII.

1 *EIa omnes manibus certatim plaudite gentes,*
Deumq; læto personate cantu.
2 *Ille premit campos celsissimus ætheris, ille*
Terras gubernat annuente vultu.
3 *Imperio gentes nostro parere coegit.*
Iugumq; victas ferre nationes.
4 *Ille colenda suæ nobis dedit oppida sortis:*
Hoc læta proles Isaci triumphat.
5 *En Deus ascendit, quem circum personat æther*
Tubisq;, tympanisq;, vocibusq;.
6 *Psallite mortales, magno date carmina plausu*
Vestrum canora voce ferte regem.
7 *Quod Deus imperio terras & numine frenet,*
Parate cantus elegantiores.
8 *Iam sua sceptra Deus populos super efferet omnes,*
Stellisq; sedem flammeam tenebit.
9 *Iam proceres alij veniunt ad castra Tonantis,*
Quem lecta proles nouit Abrahami.
Inclinant alij clypeos atq; arma Deorum,
Nostrum fatentes esse celsiorem.

PSALMVS XLVII.
Hebr. XLVIII.

1 *MAgnus, & ob nostram nimis es laudabilis vrbem*
Alme Parens, sancti fundatam in vertice montis
Quam tua maiestas, & rerum gloria seruat.

2 *Montis*

10 Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.
11 Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

PSALMVS XLVI.
Hebr. XLVII.

1 OMnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.
2 Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.
3 Subiecit populos nobis: & gentes sub pedibus nostris.
4 Elegit nobis hæreditatē suam: speciem Iacob, quā dilexit.
5 Ascendit Deus in iubilo: & Dominus in voce tubę.
6 Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite.
7 Quoniā rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.
8 Regnabit Deus super gētes: Deus sedet super sedem sanctam suam.
9 Principes populorū congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dij fortes terrę vehementer eleuati sunt.

PSALMVS XLVII. Hebr. XLVIII.

1 MAgnus Dominus, & laudabilis nimis: in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.

PSALMVS XLVIII.
Hebr. XLIX.

1 *AVdite hæc gentes quæ curribus afflat anhelis*
Sol oriens, aut sera rubens dat lumina vesper.
Audite à varijs populi regionibus orbem
2 *Qui colitis, qui diues opum, qui paupere vitam*
3 *Sorte regit. Diuina meo sapientia magnum*
Ore canet: meditata diu prudentia voluet.
4 *Ipse meam exemplis pandam cælestibus aurem;*
Et Citharæ fidibus non clara oracula dicam.
5 *Cur inopi metuam vitæ, dum sæuus habendi*
Vret amor, studio partis vt rebus iniquo
Diues ab extremæ formidine puniar horæ?
6 *Disce quid eueniat tumidis, auroq; superbis:*
(Seu fidant opibus, seu viribus omnia credant
7 *Concessura suis.) Fratrem non eximet Orco*
Frater, vbi è manibus vitæ lora remisit:
8 *Nec precio faciet veniat rediuiuus in auras.*
Quin definitum producere longius æuum,
Quam sinat æterni nunquam lex irrita patris;
Nemo potest, auroue Deum mollire, silentes
Mortis vt effugiat non euitabilis vmbras.
9 *Non hic occiderit, cineres sapientis humari*
Cùm videat? Stultis etiam sua funera restant.
10 *Tunc miseri ignotis hæredibus omnia linquent,*
Et sola examines habitabunt busta sepulti.
11 *Quid iuuat aëreas fundasse nepotibus arces,*
Famaq; per vanos nimium quæsita labores?
12 *En quo laudis amor, quo nominis illa cupido*
Impulit ignaros veniat quo gloria cursu?
Sicut in vmbrosis obeunt animalia siluis:
Haud aliter reuolant ad nigra cubilia lethi.
13 *En hominis vecordis iter, quo tendit in Orcum*
14 *Aemula posteritas, illos mors ferrea pascet*

15 Ceu

PSALMVS XLVIII.
Hebr. XLIX.

1 AVdite hęc omnes gẽ-
tes: auribus percipite
omnes, qui habitatis or-
bem.
2 Quique terrigenæ, & filij
hominum: simul in vnum
diues, & pauper.
3 Os meum loquetur sapi-
entiam: & meditatio cor-
dis mei prudentiam.
4 Inclinabo in parabolam
aurem meam: aperiam in
psalterio propositionem
meam.
5 Cur timebo in die mala?
iniquitas calcanei mei
circundabit me.
6 Qui confidunt in virtute
sua: & in multitudine di-
uitiarũ suarũ gloriantur.
7 Frater non redimit, redi-
met homo: nõ dabit Deo
placationem suam.
8 Et pretium redemptio-
nis animæ suæ: & labora-
bit in æternum, & viuet
adhuc in finem.
9 Non videbit interitum,
cum viderit sapiẽtes mo-
rientes: simul insipiens, &
stultus peribunt.
10 Et relinquẽt alienis diui-
tias suas: & sepulchra eo-
rum domus illorũ in ęter-
num. 11 Tabernacula eorum in progenie, & progenie: vocauerunt nomi-
na sua in terris suis. 12 Et homo, cum in honore esset, non intellexit: com-
paratus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. 13 Hæc via illo-
rum scandalum ipsis: & postea in ore suo complacebunt. 14 Sicut oues in
inferno positi sunt: mors depascet eos.

15 *Ceu leo crudus oues. Contra dominabitur insons*
Turba, coruscanti cùm fulserit æthere iudex.
Impia sed patriæ de sedibus exul adempta,
Aeternæ vmbriferum caliginis accolet antrum.
16 *Me verò Deus eripiet, barathroq; remissum*
Suscipiet, vitæq; dabit melioris honorem.
17 *Ne quem diuitiæ quem maxima nomina iactât*
Horrueris, quem fama canit, quem gloria tollit.
18 *Mors etenim quando clauos adamantina figet*
In gelidæ tumulo spoliatum ponet arenæ.
19 *Dum viuit spiratq; nimis securus Olympi*
Delicias opibus quærit: Stupet inscia turba,
Et coram attonito felicem prædicat ore.
20 *Verum summa dies vt auorum busta recludet,*
Fugisse in cassum lacrymans sua gaudia dicet,
Missus in exilium, luciq; imperuia regna.
21 *En quid habent homines; Quærant sine nomine famam:*
Illos suscipient tacitæ somni hospitis vmbræ,
Mortua ceu vastæ condunt animalia siluæ.

PSALMVS XLIX.
Hebr. L.

1 *REx hominum diuumq;, potens inhibere superbos,*
2 *Terrigenas in iura vocat nascentis ab ortu*
Solis ad occasum. Speciosæ è monte Sionis
Ipse graui gentes affabitur ore coactas.
3 *Accedet propius domitor manifestus Olympi,*
Nec culpas hominum temerataq; iura silebit.
4 *Ante illum venient sinuosa volumina flammæ,*
Prælia ventorum, tempestatesq; sonoræ.
5 *Vtq; suum populum ferat in prætoria iudex,*
6 *Este inquit Tellus, & Olympi sidera testes.*
Sistite quam docui gentem mea numina quondam,
Et positis sacros adolere altaribus ignes.

7 Iusti

15 Et dominabûtur eorum
iusti in matutino: & auxi-
lium eorum veterascet in
inferno à gloria eorum.
16 Verumtamen Deus re-
dimet animam meam: de
manu inferi cum accepe-
rit me.
17 Ne timueris cum diues
factus fuerit homo: & cũ
multiplicata fuerit gloria
domus eius.
18 Quoniam, cum interie-
rit, non sumet omnia: ne-
que descendet cum eo
gloria eius.
19 Quia anima eius in vita
ipsius benedicetur: confi-
tebitur tibi, cum benefe-
ceris ei.
20 Introibit vsq; in proge-
nies patrum suorum: &
vsque in æternum non vi-
debit lumen.
21 Homo cum in honore
esset, non intellexit: com-
paratus est iumentis insi-
pientibus, & similis factus
est illis.

PSALMVS XLIX.
Hebr. L.

1 DEus deorum Domi-
nus locutus est: & vo-
cauit terram.
2 A solis ortu vsque ad oc-
casum: ex Sion species
decoris eius. 3 Deus manifeste veniet: Deus noster, & non silebit: 4 Ignis
in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida 5 Aduo-
cauit cælum desursum: & terram discernere populum suum. 6 Congregate
illi sanctos eius: qui ordinant testamentum eius super sacrificia.

7 Et

7 *Iustitiam Domini vulgabit flammeus Aether:*
Quippe sedens æquum solio ius dicet ab alto.
8 *Ille audi gens lecta mihi, gens semine creta*
Iacobi nunc pauca loquar. Scio te mihi testem
Esse, quod adfuerim duris in rebus amicus
9 *Et Genitor numenq; tibi. Non arguo vindex*
Rarior ad sacras quod venerit hostia tædas.
Quin memini quoties flammis holocausta dedisti.
10 *Non ego te vitulis ornes conuiuia, poscam:*
11 *Non hircos de more cremes. Sunt omnia latè*
Nam mea quæ densis errant animal a siluis,
12 *Quæ montes vallesq; tenent: mihi libera pictis*
Aethera per liquidum ludunt auiaria pennis:
Mitiaq; irriguis frondent pomaria campis.
14 *Vrgeret si dura fames, Ego conditor orbis*
Ad te confugerem cui parturit omnia tellus?
14 *An pascor vitulis? an sanguine proluar hirci?*
15 *Disce litare, mihi grates age pectore casto:*
Tum calidas vltro quæ voueris affer ad aras.
16 *Ac vbi te circumdederint discrimina signum,*
Auxilium me posce, feram: pro munere tanto
Indefessa meas in laudes ora resolues.
17 *Tum Deus aspiciens reuereri numina parcum,*
Quid mea iura, inquit, memoras? & fœdera mendax
Interpres vano nequicquam differis ore?
18 *Iussa furens odio rumpis cælestia primus*
Inq; tuum vecors tergum mea dicta relegas.
19 *Te comitem visis vnum latronibus addis,*
Et sequeris thalamos ausum violare iugales.
20 *Irrides alios; intexis callidus omni*
21 *Arte dolos, etiam fratri conuitia dicis,*
Dedecorasq; tuæ matris germanus alumnos.

22 *Has*

7 Et annunciabunt cæli iustitiam eius: quoniã Deus iudex est.
8 Audi, populus meus, & loquar, Israel, & testificabor tibi: Deus, Deus tuus ego sum.
9 Non in sacrificijs tuis arguam te: holocausta autem tua in cõspectu meo sunt semper.
10 Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.
11 Quoniam meæ sunt omnes feræ siluarum: iumenta in montibus, & boues.
12 Cognoui omnia volatilia cæli: & pulchritudo agri mecum est.
13 Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.
14 Nũquid mãducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?
15 Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua.
16 Et inuoca me in die tribulationis: & eruam te, & honorificabis me.
17 Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas: & assumis testamentum meum per
os tuum? 18 Tu vero odisti disciplinam: & proiecisti sermones meos retrorsum.
19 Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.
20 Os tuum abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos.
21 Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris: & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.

22 *Has scelerum furias quòd non sit pœna secuta,*
Me similem rebare tui? malefacta luendo
Agnosces; oculis iam coram singula figam.
23 *Discite iustitiam securi numinis, olim*
Aeternæ rapiam ne vos in pabula flammæ:
Dum nemo eripiet, dum nemo obstabit eunti.
24 *Sacra mihi, laudes: & puri nuncia cordis*
Vota litant. Hac ite, Dei reperire salutem
Fas erit, & tandem cæli requiescere portu.

22 Hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique, quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.
23 Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum: nequādo rapiat, & non sit qui eripiat.
24 Sacrificiū laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

PSALMVS L. Hebr. LI.

1 *O Miserere Parens, animi sua crimina flentis,*
Hoc petit, & Bonitas hoc tua sola potest.
2 *Tam bonus vt soleas inimici ignoscere culpis,*
Elue flagitij tetra venena mei.
3 *Nec semel hanc animam, sed perlue sæpius vnda,*
Purus vt à sceleris tabe necantis eam.
4 *Heu scelus aspicio, factiq; nigerrima semper*
Omnibus adcurrit criminis vmbra locis.
5 *Hoc queror infelix in te peccasse videntem,*
Nec me respectu continuisse tui.
Si veniam dederis, tua me clementia vincet:
Si pœnam statues tunc quoq; victor eris.
6 *Ecce meæ labem traxi Genitricis ab aluo,*
Natalemq; fui iam reus ante diem.
7 *Tu veri, & nimium puri candoris amicus,*
Abdita sint quamuis me tua sacra doces.
8 *Si tamen Hyssopi felici aspergine lustres,*
Dicar hyperboreas candidus ante niues.
9 *Deferat ô aliquis iam te mihi nuncius æquum;*
Tritaq; restituet pristinus ossa vigor.
10 *Respice ne toruo defleta piacula vultu,*
At laue quas fecit culpa timenda notas.

11 Finge

PSAL. L. Hebr. LI.

1 Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam.
2 Et secundum multitudinē miserationum tuarū: dele iniquitatem meam.
3 Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.
4 Quoniā iniquitatē meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.
5 Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.
6 Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me
mater mea. 7 Ecce enim veritatem dilexisti: incerta, & occulta sapientiæ
tuæ manifestasti mihi. 8 Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor:
lauabis me, & super niuem dealbabor. 9 Auditui meo dabis gaudium, &
lætitiam: & exultabunt ossa humiliata. 10 Auerte faciem tuam à peccatis
meis: & omnes iniquitates meas dele.

11 *Finge mihi sceleris cor purum & viscera magni*
Plena nouis animet flaminis aura modis
12 *Ne faciem vela, ne longius eiice pulsum,*
Ne sine me vacuum flaminis ipse tui.
13 *Sed cùm reddideris sperata gaudia vitæ,*
Spiritus impulsu me regat ille suo.
14 *Tunc ego qui fugiunt cælestia castra reducam,*
Et venient positis ad tua signa minis.
15 *Exue patratæ me compede cædis ahenæ:*
Perpetuò iustum te mea lingua canet.
16 *Conditor alme nouis aperi concentibus ora*
Nuncia virtutis sæpe futura tuæ.
17 *Si pecudum fuso placari sanguine velles:*
Ara tibi vitulis staret onusta meis.
18 *Sed non in cineres, quæ vertitur hostia, placat:*
Mens bona, vel sceleris fracta dolore litat:
Humida quæ lacrymis, & amoris saucia ferro,
Non erit irato despicienda tibi.
19 *Respice pacato tranquillior ore Sionem*
Aedifica Solymæ, pergama clara tuæ.
20 *Tum patiere manu curari altaria casta:*
Cæsa piis vri tunc holocausta focis.

11 Cor mũdum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribꝰ meis.
12 Ne proijcias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.
13 Redde mihi lætitiam salutaris tui:& spiritu principali confirma me.
14 Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.
15 Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.
16 Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.
17 Quoniam, si voluisses sacrificium, dedissem vtiq;: holocaustis non delectaberis.
18 Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritũ, & humiliatũ, Deus, non despicies.
19 Benigne fac, Domine,in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hierusalem.
20 Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ. oblationes, & holocausta:tunc imponent super altare tuum vitulos.

PSALMVS LI. Hebr. LII.

1 *QVid te potentem fraudis, & impiæ*
Crudelitatis barbarè prædicas?
Nescis per omnes innocentem
Vt Dominus tueatur horas.
2 *Quid lingua praui non tua cogitat,*
Instar minacis prompta nouaculæ
Haurire casu, vel maligno
Concilio iuguli cruorem?
3 *Præponis omnem nequitiam bono,*
Et falsa veris: exitiabilem

4 *Emen-*

PSALMVS LI. Hebr. LII.

1 QVid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? 2 Tota die in-
iustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum.
3 Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis, quam loqui
æquitatem.

Dilexisti

4 *Ementiendo res piorum*
In scopulum sceleratus vrges.
5 *Te numen ergo funditus eruet,*
Aget paternis sedibus exulem
Radice ab ima te, genusq;
Ex hominum patria reuellet.
6 *Iusti videbunt, nec sine gaudio*
Metuq; dicent. En homo pectoris
Insanientis, qui sibi olim
Duxit opus nihil esse numen.
7 *Sed fretus auro spes sibi credulas*
Fouit caducas, & leue blandulæ
Qua murmur auræ flauit, amens
Vela tulit sinuosa ferri.
8 *Frondens oliuæ ramus vt insitæ,*
Ego in beatis numinis ædibus
Spe nitar, alma semper alti
Fertilior bonitate cæli.
9 *Author meorum laudibus efferam*
Hinc te bonorum: nominis hinc tui
Vires manebo, sic Olympi
Nam video placuisse Diuis.

4 Dilexisti omnia verba
præcipitationis: lingua
dolosa.
5 Propterea Deus destruet
te in finem, euellet te, &
emigrabit te de taberna-
culo tuo: & radicē tuam
de terra viuentium.
6 Videbunt iusti, & time-
bunt: & super eum ride-
bunt, & dicent: ecce ho-
mo, qui nō posuit Deum
adiutorem suum.
7 Sed sperauit in multitu-
dine diuitiarum suarum:
& præualuit in vanitate
sua.
8 Ego autē sicut oliua fru-
ctifera in domo Dei: spe-
raui in misericordia Dei
in æternum, & in sæcu-
lum sæculi.
9 Confitebor tibi in sæcu-
lum, quia fecisti: & expe-
ctabo nomen tuum, quo-
niam bonum est in con-
spectu sanctorum tuorū.

PSAL. LII. Hebr. LIII.

1 *IMpius vt mentem pœnæ formidine soluat,*
Audaciorq; militet libidini.
Sic loquitur secum, Nullius numinis orbem,
Stabili gubernat lege prouidentia.
2 *Hinc ipse ac iisdem malè turba furoribus acta*
Abominati cælitum regi, viam
3 *Deseruere boni. Specula despexit ab alta*
Ardentis æthræ conditor rerum Deus,
Cernat vt in superas ecquis sapientior arces
Se vertat, animo numen vt colat pio.
4 *Idem præcipites per deuia traxerat error:*
Curante recta, vel modesta nemine.

5 Tum

PSAL. LII. Hebr. LIII.

1 DIxit insipiens in cor-
de suo: Non est Deus.
2 Corrupti sunt, & abomi-
nabiles facti sunt in ini-
quitatibus: non est, qui
faciat bonum.
3 Deus de cælo prospexit
super filios hominum: vt
videat si est intelligens,
aut requirens Deum.

4 Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

5 Nonne

5 *Tum Pater, ista suo gens vsq; addicta furori,*
Sæua vt leæna quæ meam plebem vorat:
Agnoscet quando supplex mea numina? quando
6 *Opem rogabit cladibus circundata?*
Hanc habeant pœnam, timidi cùm nulla pauoris
Est inquieti causa, semper horreant.
7 *Omnia bellator Deus olim conteret ossa,*
Animos superbos ille franget hostium.
Ora rubere notis faciet maculosa pudoris,
Exosus illos, vt merentur, auferet.
8 *Illa vnquam radijs an fulserit hora serenis,*
Qua de Sionis arce prodibit salus?
Cùm domus Isacidum remearit libera vinclis,
Deum sonoris læta dicet cantibus.

PSAL. LIII. Hebr. LIV.

1 *O Rex nomine sospitem*
Fac me sancte tuo: robore vindica
2 *Orantis querimonias*
Blandis sollicitas auribus accipe.
3 *En vno ruit agmine*
Gens infesta mihi, viribus impij
Hostes in caput efferis
Concurrere meum, nec fore vindicem
Celso rentur ab æthere.
4 *At rex alme tuo numine prosperam*
Vitæ spem mihi fulcies.
5 *Et coges eadem quæ malè fecerant.*
Hostes ferre nefarios:
Euertet penitus quos tua veritas.
6 *Tunc sacras ego victimas*
Cædam sponte, Deum vox mea laudibus
(Quod sanctum reor) efferet:
7 *Me namq; ille malis eruit omnibus,*
Et vidi nimis aspera
Vltor ferre meis quæ dedit hostibus.

PSAL.

5 Nonne scient omnes, qui
operantur iniquitatẽ: qui
deuorant plebem meam,
vt cibum panis?
6 Deum nõ inuocauerunt:
illic trepidauerunt timo-
re, vbi non erat timor.
7 Quoniam Deus dissipauit
ossa eorum, qui homini-
bus placent: confusi sunt,
quoniã Deus spreuit eos.
8 Quis dabit ex Sion salu-
tare Israel? cum conuer-
terit Deus captiuitatem
plebis suæ, exultabit Ia-
cob, & lætebitur Israel.

PSAL. LIII. Hebr. LIV.

1 DEus in nomine tuo
saluum me fac: & in
virtute tua iudica me.
2 Deus exaudi orationem
meam: auribus percipe
verba oris mei.
3 Quoniam alieni insurre-
xerunt aduersum me, &
fortes quæsierũt animam
meam: & non proposue-
runt Deum ante conspe-
ctum suum.
4 Ecce enim Deus adiuuat
me: & Dominus suscе-
ptor est animæ meæ.
5 Auerte mala inimicis
meis: & in veritate tua
disperde illos.
6 Volũtarie sacrificabo ti-
bi: & confitebor nomini
tuo, Domine, quoniam
bonum est. 7 Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimi-
cos meos despexit oculus meus.

PSALMVS LIV.
Hebr. L V.

1 *SAncte me rerum Genitor precantem*
Ore non durus neque tristis audi:
Sed veni blandam querulis daturus
Vocibus aurem.

2 *Turba me sæuis inimica damnis*
Cogit orantem grauius dolere:
Dum minax verbis, truculenta factis
Vrget iniquis.

3 *Impetu quali petit hostis hostem,*
In meam torui coiere famam:
Et reum magno scelerum tumultu
Esse fremebant.

4 *Cor mihi sensu trepidauit acri,*
Visa nigrantis fuit vmbra lethi:
5 *Horrui membris gelidæ pauore*
Noctis amictus.

6 *Tunc ego dixi, celeres columbæ*
Quis mihi pennas dabit, vt per auras
7 *Ales euadam, vel inhospitalis*
Deuia sylvæ?

8 *Montium solas vagus inter arces,*
Nec repentinæ sonitum procellæ;
Nec tumescentes iterum videbo
Turbinis vndas.

9 *O Parens labi sine fraudulentos,*
Vltor ô linguas penitus recide,
Quæ venenatis agitant quietas
Fraudibus vrbes.

10 *Siue furetur iubar vmbra cælo,*
Seu diem flammæ reuehant Eoæ:
Occupant muros scelus, & mouentes
Omnia lites.

11 *Vis, nefas, rixæ, dolus, & cupido*
Omnibus sedem posuere vicis:
Et situs flagrat calefacta magno
Fænoris æstu.

PSALMVS LIV.
Hebr. LV.

1 EXaudi, Deus, orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me.
2 Contristatus sum in exercitatione mea: & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.
3 Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi.
4 Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.
5 Timor, & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ.
6 Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: & volabo, & requiescam?
7 Ecce elongaui fugiens: & mansi in solitudine.
8 Expectabam eum, qui saluum me fecit: à pusillanimitate spiritus, & tempestate.
9 Præcipita, Domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.
10 Die, ac nocte circundabit eam super muros eius iniquitas: & labor in medio eius, & iniustitia.
11 Et non defecit de plateis eius: vsura, & dolus.

12 *Si quis afferret maledicta coram,*
Aut caput ferro peteret, fletissem
13 *Forsan: aut sæuum fugerem latendo*
Territus hostem.
14 *Cruda nunc infert homo notus arma,*
15 *Particeps mentis, laris, atq; mensæ:*
Sæpe qui mecum comes in Tonantis
Venerat ædem.
16 *Quid pio in mores precor ore tales?*
Mors necaturis veniat sagittis,
Et nigro tellus patefacta viuos
Sorbeat Orco.
17 *Eequid atrocis meruere pœnæ,*
Qui dolos omnes aluere tectis:
Dulciter fraudem gremio fouentes
Instar alumnæ?
18 *At meo supplex ego more numen,*
19 *Siue cùm prodit, medioue cælo*
Errat, aut currum lauat occidentis
Lucifer vnda:
Vt manum fesso mihi det, rogabo.
20 *Annuet, vitam redimet periclis:*
Nec trahi victum feret à superbis
Millibus vnum.
21 *Audiet vocem pia deprecantem,*
Mentis elatæ reprimet tumorem:
Sanxit æternis ita qui gubernat
Secula frenis.
22 *Non enim vitam semel obstinatam*
Impij mutant, neq; numen horrent:
Iuris obliti benefacta rupto
Fœdere pensant.
24 *Lacteo blandum nimis ore fantur,*
Mente retractant sed acuta bella:
Vtq; se nudant iaculantur acres
Spicula linguis.

25 *Cælitum*

12 Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi: sustinuissem vtique.
13 Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.
14 Tu vero homo vnanimis: dux meus, & notus meus.
15 Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu.
16 Veniat mors super illos: & descendant in infernum viuentes.
17 Quoniã nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.
18 Ego autẽ ad Deum clamaui: & Dominus saluabit me.
19 Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo: & exaudiet vocem meam.
20 Redimet in pace animã meam ab his, qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.
21 Exaudiet Deus, & humiliabit illos: qui est ante secula.
22 Non enim est illis commutatio, & nõ timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo. 23 Contaminauerunt testamentum eius, diuisi sunt ab ira vultus eius: & appropinquauit cor illius. 24 Molliti sunt sermones super oleum: & ipsi sunt iacula.

25 *Cælitum fido tua crede regi,*
Ille defensum dabit, & tuebit,
Ne pius rerum vario suarum
Fluctuet æstu.
26 *In scrobem prauos aget æstuosum,*
27 *Cædis & fraudis cupidos, senectæ*
Inscios tollet, mihi sed Tonanti est
Fidere certum.

PSAL. LV. Hebr. LVI.

1 *Miserere Genitor, nam tyrannus insolens,*
Me calcat ad fastidium.
2 *Fatigat armis continenter: oribus*
Hostes biant frementibus.
Bellantur aucta virium potentia,
Ferociores æmuli.
3 *Non exuissem nocte, vel die metum*
Nisi adfuisses anchora.
4 *Per te resisto fortis, & meis tua*
Promissa canto laudibus.
Te fretus vno nil tremisco virium
Formidines mortalium.
5 *Interpretantur dicta nostra pessimè:*
Extrema vitæ cogitant.
6 *Coeunt in vnum, se cauernis occulunt:*
Notant ferar quo gressibus.
7 *En vt libido captat hanc animam ferox?*
Calumnias æquissima
Qui lance pendis vltor, intactam sines
Hanc ire contumeliam?
At vindicabis quando gentes integras
Ob facta perdis impia.
8 *Meæ recenses tu fugæ pericula:*
Tu condis vrna lacrymas.
9 *Et in tabellis damna scribis omnia,*
Ne sis laboris immemor.
Cum me rogante terga fusi verterint
Hostes metu pauentia:

10 Tunc

25 Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: nō dabit in æternum fluctuationem iusto.
26 Tu vero, Deus, deduces eos: in puteum interitus.
27 Viri sanguinum, & dolosi nō dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te, Domine.

PSALMVS LV. Hebr. LVI.

1 Miserere mei, Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me.
2 Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniā multi bellantes aduersum me.
3 Ab altitudine diēi timebo: ego vero in te sperabo.
4 In Deo laudabo sermones meos, in Deo speraui: non timebo, quid faciat mihi caro.
5 Tota die verba mea execrabantur: aduersum me omnes cogitationes eorum in malum.
6 Inhabitabunt, & abscondent: ipsi calcaneum meū obseruabunt.
7 Sicut sustinuerunt animā meam, pro nihilo saluos facies illos: in ira populos confringes.
8 Deus, vitam meā annunciaui tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.
9 Sicut & in promissione tua; tunc conuertentur inimici mei retrorsum.

10 In

10 *Tunc confitebor esse præsidium meum,*
Te Numen ô sanctissimum.
11 *Promissa iure laudo rex Diuûm tua,*
Tuæq; fido dexteræ.
Qua fretus vna, nil tremisco virium
Formidines mortalium.
12 *Quæ nuncupaui vota reddam, plurimis*
Sed auctiora gratijs:
13 *Te liberante sospes, & vestigijs*
Te dante firmis integer
Tuaq; facessam iussa, dum me spiritus
Vitalis auræ fouerit.

PSALMVS LVI.
Hebr. LVII.

1 *Sancte Deus miserere, tuo de numine pendet,*
Animus spe fretus amica.
2 *Alarum pennis timidum me absconde tuarum,*
Dum detonat ira tyranni.
3 *Regnantem stat clara Deum super astra ciere,*
Mea qui bonus acta secundat.
4 *E cælo veniens vltor dabit irrita probro*
Inimici vt vota ferantur.
5 *Ille fide insignis, pietateq; notus ab alto*
Qui liberet æthere mittet.
Vidit vt in media viuam regione leonum,
Quorum formidine turbor.
6 *Huic hominum soboli sunt arma & spicula dentes,*
Gladius verò impia lingua.
7 *Erige te Genitor super aurea culmina cæli,*
Lustret tua gloria terras.
8 *Tentauere meas laqueis inuoluere plantas,*
Sensit mens obruta fraudes.
9 *Insecuere viam fossis, & hiatibus, ipsi*
Lapsi tamen antè ruerunt.

10 *Læta*

10 In quacumque die inuocauero te: ecce cognoui,
quoniam Deus meus es.
11 In Deo laudabo verbũ,
in Domino laudabo sermonem: in Deo speraui,
non timebo, quid faciat
mihi homo.
12 In me sunt, Deus, vota
tua: quæ reddam laudationes tibi.
13 Quoniam eripuisti animam meam de morte, &
pedes meos de lapsu: vt
placeam coram Deo in
lumine viuentium.

PSALMVS LVI.
Hebr. LVII.

1 Miserere mei, Deus,
miserere mei: quoniam in te confidit anima
mea.
2 Et in vmbra alarum tuarũ sperabo: donec transeat iniquitas.
3 Clamabo ad Deum altissimum: Deum, qui benefecit mihi.
4 Misit de cælo, & liberauit
me: dedit in opprobrium
conculcantes me
5 Misit Deus misericordiã
suam, & veritatem suam,
& eripuit animam meam
de medio catulorum leonũ: dormiui conturbatus.

6 Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus. 7 Exaltare super cælos, Deus: & in omnem terram gloria tua.
8 Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam.
9 Foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam.

10 Para-

10 *Læta mihi trepidis saliunt hincilia fibris*
Tibi vindex carmina dicam.
11 *O chelys vnde mihi fuit olim fama canendi,*
O nablia surgite mecum.
Ante diem referat tacito quam lucifer orbi,
Montesq; Aurora renudet.
12 *Voce canorus ego, & dulci testitudine gentes*
Dicam tua facta per omnes.
13 *Vt tua nempe fides caput vltra nubila tollat,*
Bonitas trans æthera surgat.
14 *Erige te Genitor super aurea sidera cæli*
Lustret tua gloria terras.

PSALMVS LVII.
Hebr. LVIII.

1 *SI ius ab alta sede minoribus*
Legum seueri dicitis arbitri:
Ne gratiosum, ne potentem,
Iustitiæ sed amate causam.
2 *Iniuriosam pectore callidi*
Iniquitatem quid meditamini?
Quid praua honesti vos amictu
Induitis, quid honesta praui?
3 *A lacte matris iam sedet improbis*
Syncera veri castra relinquere:
At vanitati militare
De tenero meditantur vngue.
4 *Qui virulentæ cuspide sauciant*
Linguæ cruenta ceu fera vipera:
5 *Ceu mordet, ambas quæ Magorum*
Carminibus negat Aspis aures.
6 *O frena mundi qui regis, impio*
In ore dentes contere liuidos:
Horum voraces & leonum
Frange manu valida molares.
7 *Labentis amnis ceu liquor effluant,*
Mittant sagittas at sine vulnere,
Pennata coram tela fracto
Ante pedes iaculentur arcu. 8 *Lima-*

10 Paratum cor meũ, Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam.
11 Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cythara: exurgam diluculo.
12 Confitebor tibi in populis, Domine, & psalmum dicam tibi in gentibus.
13 Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua: & vsq; ad nubes veritas tua.
14 Exaltare super cælos, Deus: & super omnem terram gloria tua.

PSALMVS LVII.
Hebr. LVIII.

1 SI vere vtique iustitiam loquimini: recte iudicate filij hominum.
2 Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniustitias manus vestræ concinnant.
3 Alienati sunt peccatores à vulua: errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa.
4 Furor illis, secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdę, & obturantis aures suas.
5 Quæ nõ exaudiet vocem incantantium: & venefici incantantis sapienter.
6 Deus cõteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet
Dominus. 7 Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens: intendit arcum suum, donec infirmentur.

8 Sicut

8 *Limacis instar solibus æfluent;*
Vt partus aluo mortuus occidant;
Prius sepulti quàm coruscos
Aspiciant orientis ignes.
9 *Spinæ priusquam brachia roborent*
Vestræ, ite cæsi noxia semina:
In flore primo vos Tonantis
Ceu rapidis cremet ira flammis.
10 *In cæde lætus vir pius impij,*
Amnem videbit sanguinis aspera
Testem vltionis, ceu rapacem
Sub pedibus celerare riuum.
11 *Fandi & nefandi conscius asseret,*
Sic est: honestis præmia diuidit,
Pœnas iniquis, rex Olympi:
Qui meritis sua iura librat.

8 Sicut cera, quę fluit, aufe-
rētur: supercecidit ignis,
& non viderunt solem.
9 Priusquam intelligerent
spinæ vestræ ramnum: si-
cut viuentes, sic in ira ab-
sorbet eos.
10 Lætabitur iustus, cum vi-
derit vindictam: manus
suas lauabit in sanguine
peccatoris.
11 Et dicet homo, si vtique
est fructus iusto: vtiq; est
Deus iudicans eos in ter-
ra.

PSALMVS LVIII.
Hebr. LIX.

1 *ME rex alme feris hostibus eripe,*
Crudeles inbibe fortiter æmulos:
Hoc sumptis caput armis
Qui certant dare funeri.
2 *Illorum è rabidis vnguibus assere,*
Quos assueta malo pascit iniquitas:
Cædis quos amor vrit
Promptos fundere sanguinem.
3 *Me circumpositis retibus ambiunt,*
Vno terribiles agmine sæuiunt:
4 *Insontem Deus vrgent*
Vt nosti, sine crimine.
5 *Pro me surge Parens hostibus obuius,*
Nutu bella tuo qui regis arbiter:
Et res mente bonorum
Aequa prouidus aspicis.
6 *Gentes vise grauis, neue nocentibus*
Indulge scelerum debita mitior:
Culpas exitiales
Iusto supplicio luant.

7 Ad

PSALMVS LVIII.
Hebr. LIX.

1 ERipe me de inimicis
meis, Deus meus: & ab
insurgentibus in me libe-
ra me.
2 Eripe me de operantibus
iniquitatem: & de viris
sanguinum salua me.
3 Quia ecce ceperunt ani-
mam meam: irruerunt in
me fortes.
4 Neque iniquitas mea, ne-
que peccatū meum, Do-
mine: sine iniquitate cu-
curri, & direxi.
5 Exurge in occursum me-
um, & vide: & tu Domi-
ne Deus virtutum, Deus
Israel.
6 Intende ad visitādas om-
nes gentes: non miserea-
ris omnibus, qui operan-
tur iniquitatem.

7 Ecce

7 *Ad seri redeant lumina vesperi*
Impastiq; canum more vagantium
Latrantes, & hiantes
Vicos vrbis obambulent.
8 *Ferrum terribiles, prælia, sanguinem,*
Ignem voce tonant: esse nec auribus
Quemquam rentur apertis,
Ipsos testis vt audiat.
9 *Tu qui cuncta vides altus ab æthere,*
Eludes rabiem desipientium:
Vertens in nihil vltor
Gentes ocyus impias.
10 *Te murum sed ego non penetrabilem*
Opponam validis viribus hostium:
Arcis nam mihi solus
Resias instar ahenea.
Defensor venies ante pericula,
11 *Euersisq; frui me dabis æmulis:*
Sed ne funditus vna
Omnes clade reuellito.
Rem tantam populus ne meus obrui
Obrepente ferat nube silentij:
12 *Illos omnia tantùm*
Per terræ sola dissipa.
O nostræ clypeum gentis aheneum,
13 *Ob linguæ tumidum pestiferæ scelus,*
Ac elata furentis
Passim verba superbiæ:
Sacramenta dolis irrita callidis,
14 *Veri rupta malis vincula fraudibus:*
Captos feruidus ira
A radicibus erue.
15 *Clarè tunc oriens noscet, & occidens*
Proles ritè Deum quem colit Isaci
Frenis esse potentem
Iustis omnia flectere.
16 *Ad seri veniant lumina vesperi*
Impasti, rabidi ceu redeunt canes:
Latrantes & hiantes
Vicos vrbis obambulent.

17 *Qua-*

7 Conuertentur ad vesperam: & famem patientur, vt canes, circuibunt ciuitatem.
8 Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum: quoniam quis audiuit?
9 Et tu, Domine, deridebis eos: ad nihilum deduces omnes gentes.
10 Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia eius præueniet me.
11 Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliuiscantur populi mei.
12 Disperge illos in virtute tua: & depone eos, protector meus, Domine.
13 Delictum oris eorum, sermonum labiorũ ipsorum: & comprehendantur in superbia sua.
14 Et de execratione, & mendacio annunciabuntur in consummatione: in ira consummationis, & non erunt.
15 Et scient, quia Deus dominabitur Iacob: & finium terræ.
16 Conuertentur ad vesperam, & famem patientur, vt canes: & circuibunt ciuitatem.

17 Ipsi

17 *Quærant vnde famem viscera morsibus*
Torquentem satient, inueniant nihil:
Insomnes vt agendo
Noctis tempora, murmurent.
18 *Lætis interea vocibus efferam,*
Ortæ à principio lucis ad Hesperum,
Te firmam Deus arcem,
Et Patrem facilem bonis.
19 *Duris temporibus perfugium meæ*
20 *Vitæ dulce canam: namq; benignitas*
Præsens me tua fouit
Rebus semper in asperis.

PSALMVS LIX.
Hebr. L X.

1 *Expulsos, fractosq;, Deus, torrentibus vltor*
Exercuisti nos malorum fluctibus.
Sed tandem posita redeas ô blandior ira,
Sanaq; tactu nostra blando vulnera.
2 *Te quatiente solum subsidit hiatibus: expla*
Terræ profundos excauatæ gurgites.
3 *Dura tua coram statuisti gente, pauoris*
Cui hauriendum præbuisti pharmacum.
4 *Signa tamen Genitor diuina celerrimus effer,*
Quæ se colentes insecuti, subleuent
Deiectos animos. Visiq; ad lumina veri
Ipsi fugatis sospitentur hostibus.
5 *Eripe nos olim quos es dignatus amicos,*
Et aure blandus annue inuocantibus.
6 *En Deus e sanctæ fatur penetralibus aulæ,*
En læta vultu iam serenus annuit.
Felicem Sichimam tibi partiar vberis arui,
Vallem Socothi nobilem demetiar.
7 *Est Galadæa mihi, Manasæa est subdita tellus:*
Mei Ephraina est verticis custodia.
8 *At Iudæ de stirpe mei gens regia sceptri:*
Nostris Moabi terra seruit balneis.
9 Victor

17 Ipsi dispergētur ad mā-
ducandum: si vero non
fuerint saturati, & mur-
murabunt.
18 Ego autem cantabo for-
titudinem tuam: & exul-
tabo mane misericordiā
tuam.
19 Quia factus es susceptor
meus, & refugium meum:
in die tribulationis meæ.
20 Adiutor meus, tibi psal-
lam, quia Deus susceptor
meus es: Deus meus, mi-
sericordia mea.

PSALMVS LIX.
Hebr. L X.

1 Deus repulisti nos, &
destruxisti nos: iratus
es, & misertus es nobis.
2 Commouisti terram, &
cōturbasti eam: sana con-
tritiones eius, quia com-
mota est.
3 Ostēdisti populo tuo du-
ra: potasti nos vino com-
punctionis.
4 Dedisti metuentibus te
significationem: vt fugiāt
à facie arcus.
5 Vt liberentur dilecti tui:
saluum fac dextera tua, &
exaudi me.
6 Deus locutus est in san-
cto suo: lætabor, & parti-
bor Sichimam: & conual-
lem tabernaculorum me-
tibor.

7 Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim fortitudo capitis mei.
8 Iuda rex meus: Moab olla spei mei.

9 *Victor Idumæam pedibus dimetiar oram:*
Obtemperabit gens Palæstinæ mihi.
10 *Ardua turritis quis ducet in oppida muris?*
11 *Quis vsque Idumen? Alme tu duces Parens.*
Nuper agi ferriq; tuos ob crimina passus,
Ad prima non iam signa dux, vt antea.
12 *At nunc affer opem fugiamus vt aspera rerum:*
Spes est caduca freta nostris viribus.
13 *Fortia te belli tentabimus auspice facta,*
Et qui minantur sæua nobis, conteres.

9 In Idumæam extendam calceamentũ meum:mihi alienigenæ subditi sunt.
10 Quis deducet me in ciuitatẽ munitã?quis deducet me vsq; in Idumæã?
11 Nonne tu,Deus, qui repulisti nos: & non egredieris,Deus,in virtutibus nostris?
12 Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.
13 In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

PSAL. LX. Hebr. LXI.

1 *AEternæ Parens accipe blandus*
Quas fundo preces: questibus aures
Non difficiles aduerte meis.
2 *Te namq; soli finibus exul*
Appello Deum, dum timor ægram
Animam curis turbidus vrget.
3 *In sublimi vertice rupis*
Me pone tuum. Spes mihi solus
Vnica restas, & firma graues
4 *Turris in hostes. Quà vela tuæ*
Maiestatis conscia tendis;
Omnia præsta sæcula viuam:
Totusq; tuis protegar alis.
5 *Cùm tua supplex numina posco*
Bonus attentam porrigis aurem:
Teq; timentis gentis habenas
Pollente facis tractare manu.
6 *Regis ad annos adijcis annos,*
Ac noua metis secula nullis:
7 *Vt perpetuum te ritè colat.*
Illum bonitas ac alma fides
8 *Semper habebunt. Sic ego dicam*
Te carminibus, dum frena regit
Sol purpureus lucis & vmbræ:
Et vota feram gratus ad aras.

PSAL. LX. Hebr. LXI.

1 EXaudi,Deus,deprecationem meam:intende orationi meæ.
2 A finibus terræ ad te clamaui: dũ anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.
3 Deduxisti me,quia factus es spes mea: turris fortitudinis à facie inimici.
4 Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum.
5 Quoniam tu,Deus meus, exaudisti orationẽ meã: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.
6 Dies super dies regis adijcies:annos eius vsque in
diem generationis, & generationis. 7 Permanet in æternũ in cõspectu Dei:
misericordiam, & veritatem eius quis requiret? 8 Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi: vt reddam vota mea de die in diem.

PSALMVS LXI.
Hebr. LXII.

1 *NOnne Dei valida ſpe mens fundata quieſcet,*
Alma ſalus rebus ſi venit inde meis?
2 *Eſt mihi ſi numen, ſi robur, & ænea turris:*
Nullus erit moueat qui mea corda timor.
3 *Vos hominem totis quo viribus vſq; tyranni*
Pergitis in ſtygiæ mittere iura domus?
Pergama vos ſenio velut inclinata ruetis,
Aut fragili moles ædificata luto.
4 *Surgere vidiſtis, ſed non tulit æmulus ardor:*
Deq; gradu inſontem pellere cura fuit.
Coram vana meis impleſtis laudibus ora,
Damna ſed oraſtis peſſima corde mihi.
5 *Tu tamen in Domino mens ô fundata quieſce;*
Alma ſalus rebus nam venit inde tuis.
6 *Ille ſalus vitæ, notæ eſt & gloria famæ:*
Et nunquam exilij ſpes obitura mei.
7 *Hunc ſperate Deum, qui cæli paſcitis auras,*
Nubila ſeu fuerit, candida ſiue dies.
8 *Illi animi curas, illi memorate labores:*
Qui iuuet in duro tempore ſolus erit.
9 *At vires hominum, coeant licet omnia regna,*
Nomina ventoſis ſunt leuiora Notis.
Hac Zephyros, illa mortalia robora lance
Pone, ſua Zephyri robora mole prement.
10 *Fidite ne ſceleri, neue indulgete rapinis:*
Quin animo partæ ne dominentur opes.
11 *Eſt ſemel Omnipotens ſacro Pater ore locutus,*
Quod tamen acceptum non ſemel aure, canam.
Se facilem miſeris, numen tamen omnibus æquum:
Vt, bene qui fecit, qui malè iuſta ferat.

PSAL.

PSALMVS LXI.
Hebr. LXII.

1 NOnne Deo ſubiecta erit anima mea? Ab ipſo enim ſalutare meũ.
2 Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus: ſuſceptor meus, non mouebor amplius.
3 Quouſque irruitis in hominem? interficitis vniuerſi vos: tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ?
4 Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere; cucurri in ſiti: ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.
5 Verumtamen Deo ſubiecta eſto anima mea: quoniam ab ipſo patientia mea.
6 Quia ipſe Deus meus, & ſaluator meus: adiutor meus, non emigrabo.
7 In Deo ſalutare meum, & gloria mea: Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.
8 Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adiutor noſter, in æternum.
9 Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris: vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum. 10 Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere: diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. 11 Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi, Domine, miſericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.

PSALMVS LXII.
Hebr. LXIII.

1 PRima rubent orto cùm mane crepuscula, surgo
Vt fruar alloquijs ô Pater alme tuis.
2 Te desiderijs mens icta fidelibus ardet:
Milleq; te sitiunt viscera nostra modis.
3 Qua deserta siti regio caret inuia lymphis,
Exul amo sancti limina diua loci.
Quæ tua maiestas quæ sacra potentia seruat,
Quæ decorat factis gloria magna tuis.
4 Non tam vita mihi est, tua quam clementia dulcis:
O mea te meritis laudibus ora sonent.
5 Te dum spiro canam, tollensq; ad sidera palmas
Præco tui semper nominis vnus eam.
6 Non tam lauta iuuant defectas prandia vires:
Est tua quam menti laus alimenta meæ.
7 Te memor in noctem recolo, portumq; salutis,
Dico renascentem peruigil ante diem.
8 O quàm dulce mihi trepido latuisse sub alis,
Et foto plumis intepuisse tuis.
Hic mens hæret amans, curarum nescia viuit:
Quippe tua fultus sto, gradiorq; manu.
9 Insidias vani ponunt conatibus hostes:
Ipsi regna petent inferiora soli.
Accipient rigidos cæsis ceruicibus enses,
Membra feris linquent trunca, voranda lupis.
10 Rex Domino grates aget exhilaratus amico,
Et quicunq; Deum relligiosus amat.
Mendaces tacitis inuita silentia linguis
Quod sua despiciant irrita vota, prement.

PSAL. LXIII. Hebr. LXIV.

1 SVpplices audi Pater alme voces,
Hostium duras trepidantis iras:
Ne manus sæuæ timeam cruentas
Effice turbæ.

2 Arma

PSALMVS LXII.
Hebr. LXIII.

1 DEus, Deus meus: ad te de luce vigilo.
2 Sitiuit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.
3 In terra deserta, & inuia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.
4 Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.
5 Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.
6 Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.
7 Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuisti adiutor meus.
8 Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.
9 Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradētur in manus gladij, partes vulpium erunt.
10 Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

PSALMVS LXIII. Hebr. LXIV.

1 EXaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam.

2 Prote-

2 *Arma conuentus fremuere magni,*
Quos iuuant cædes, & iniqua facta:
O Deus, quando potes innocentem
Protege vindex.
3 *Ceu feros enses acuere linguas*
Verba tendendo veluti sagittas:
Mentis vt puræ tacito necarent
Vulnere iustum.
4 *Nec manus, nec mens scelus horruißent,*
Efferi postquam stygio furore
Impia secum statuere dextras
Tingere cæde.
Iamq; metati loca destinatis
Retium nodis sinuosa, dicunt
Perspicax ecquis latitare fraudis
Arma videbit?
6 *Quicquid inuentis potuere prauis,*
Conferunt acres studijs in vnum:
7 *Quisq; de fundo nociturus artes*
Pectoris haurit.
Sed potens arcu Deus, & sagittis,
8 *Figet hos, tanquam pueros nec armis*
Vim repellentes, neq; deprecantes
Vulnera linguis.
9 *Magnus inuadet metus intuentes,*
Vt cadant vulgo iaculis perempti:
Nec lacessendas animis putabunt
Numinis iras.
10 *At Deum cauti sapienter ore*
Efferent, iustè tumidis iniquum:
Semper infrenes minimè ferentem
Ire superbos.
11 *Hac Dei gaudens probus æquitate,*
Spes alet certas, & amica turis
Turba synceris, aget alta læta
Ocia pacis.

2 Protexisti me à conuentu malignantium: à multitudine operantium iniquitatem.
3 Quia exacuerunt, vt gladium, linguas suas: intenderunt arcum rem amaram, vt sagittẽt in occultis immaculatum.
4 Subito sagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt sibi sermonem nequam.
5 Narrauerunt, vt absconderent laqueos: dixerũt: Quis videbit eos?
6 Scrutati sunt iniquitates: defecerũt scrutãtes scrutinio.
7 Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur Deus.
8 Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum: & infirmatæ sunt cõtra eos linguæ eorum.
9 Conturbati sunt omnes, qui videbãt eos: & timuit omnis homo.
10 Et annunciauerunt opera Dei: & facta eius intellexerunt.
11 Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.



PSAL. LXIV. Hebr. LXV.

1 TE Parens rerum sacer alme cantet
Qui Sionæam decet hymnus vrbem:
Dum tibi votis Solymi obligatas
Ponimus aras.

2 *Supplicum voces quia blandus audis,*
Qua vagi mundum rota solis ambit,
Hac tuum casta prece numen ibunt
Flectere gentes.

3 *Criminum tortis agitamur vndis,*
Et superfusum tumulasset æquor,
Niserenasses veniæ fauenti
Sidere fluctus.

4 *Quem tibi carum legis, ô beatum:*
Nam loco iunctum propiore pones:
Et tui felix habitabit aulam
Accola templi.

5 *Nos tua ingressos recreabit ædes,*
Nempe cælestis domus illa formæ:
Aequitas factis vbi sancta miris
Limina seruat.

6 *Nos salus rerum miseratus, audi:*
Spesq; terrarum Deus vltimarum;
Et maris, longè tumidum sonora
Quà fremit vnda.

7 *Tu potens altos stabilire montes,*
Sæua compescis freta si tumescunt:
Aut sono contra requieta magno
Aequora tollis.

8 *Se sua gentes feritate turbent,*
Signa cùm cælo dederis, quiescent:
Solis occasum recreabit, idem
Luminis Ortum.

9 *Cùm solum findit calor æstuosum,*
Humidæ grata vice nubis imples:
Et iubes latis noua parturire
Semina fundis.

10 *Labitur ripis tibi plenus amnis,*
Vt sinus terræ penetrante lympha;
Rideat mater soboli datura
Pabula viuæ.

11 Tu

PSALMVS LXIV.
Hebr. LXV.

1 TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Hierusalem.
2 Exaudi orationem meã: ad te omnis caro veniet.
3 Verba iniquorum præualuerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.
4 Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis.
5 Replebimur in bonis domus tuæ: sanctũ est templum tuum, mirabile in æquitate.
6 Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ: & in mari longe.
7 Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.
8 Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis: exitus matutini, & vespere delectabis.
9 Visitasti terram: & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.
10 Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio eius.

11 Riuos

11 *Tu soles vnda satiare sulcos:*
Tu satas glebis animare fruges:
Tu laborantem refouere molli
Imbre colonum.
12 *Floribus pictæ similem coronæ*
Annui ducis spatij laborem:
Et tuo campos speciosa dono
Copia vestit.
13 *Vberem fundunt loca sola pastum,*
Gestiunt colles riguæq; valles:
14 *Hic greges altas auidi per herbas*
Pascua tondent.
Vota flauentes segetes coloni
Messibus vincunt trepidantis Euri,
Vnde te cantat cumulata postquam
Horrea claudit.

PSALMVS LXV.
Hebr. LXVI.

1 *QVi terræ incolitis fines Dominoq; Deoq;,*
Age dicite carmina læti.
Eius in astriferum concentibus æthera laudes,
Ferte vltra sidera nomen.
2 *Dicite, sancte parens, quantum formidinis Orbi*
Pauido tua facta tulerunt.
Attonitos hostes mendacibus hiscere linguis,
Tua magna potentia fecit.
3 *Machina te curuæ supplex telluris adoret,*
Nomenq; attollat in auras.
4 *Facta venite Dei perpendere maxima gentes,*
Nostræ quibus ille saluti,
5 *Prospiciens, fecit pelago vada sicca remoto:*
Et apertas fluminis vndas
Miratum pedibus tranare arentibus agmen.
6 *Aeternum temperat Orbi:*
Luminibus curas hominum metitur acutis.
Prohibet ne credula somnis,
Gens oblita poli, votorum læta triumphet.
Age nostrum dicite numen.

7 O popu-

11 Riuos eius inebria, multiplica genimina eius: in stillicidijs lætabitur germinans.
12 Benedices coronæ anni benignitatis tuę: & campi tui replebuntur vbertate.
13 Pinguescēt speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.
14 Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabūt, etenim hymnum dicent.

PSALMVS LXV.
Hebr. LXVI.

1 IVbilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.
2 Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine: in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.
3 Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.
4 Venite, & videte opera Dei: terribilis in consilijs super filios hominum.
5 Qui cōuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lętabimur in ipso.
6 Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

7 Bene-

7 *O populi, quantum numeris & voce potestis,*
Resonent præconia laudum.
8 *Nos lethi eripuit miseros crudelibus vmbris,*
Gressu stabiliuit euntes.
9 *Nos explorasti per sæua pericula rerum,*
Ceu flamma examinat aurum.
10 *Duxisti in laqueos, onerasti dorsa cathenis:*
Humeris equitare dedisti
11 *Impositos homines: Infanda per ignis & vnda*
Tandem discrimina vecti
Te duce frugiferæ campis requieuimus oræ.
12 *Ideo tua templa reuisam.*
Incendam pecudes: voti reus omnia sanctis
Promissa altaribus addam.
13 *Illa meo nuper quæ voui scilicet ore,*
Tot circumuentus ab vndis.
14 *Pinguis alet sacras aries tibi victima flammas*
Hirci, cum thure iuuenci.
15 *Qui Dominum colitis properate, en aurea dicam*
Mihi quæ bonus ocia fecit.
16 *Illum quo potui venerans clamore vocaui,*
Et laudans ora resolui.
17 *Mentem, sponte malæ fuerit si conscia fraudis,*
Non audiet ille querentem.
18 *Me tamen orantem facili Pater adspicit ore,*
Aduertens blandior aurem.
19 *Laus tibi sit Genitor prece qui lenitus, in arcto*
Nunquam me tempore linquis.

PSAL. LXVI. Hebr. LXVII.

2 *ORbis alme fabricator*
Nos serenus adspice.
3 *Prospera ridentis anni*
Fructuosam copiam.
Sparge lætiora vultus
Gratiosi lumina. 2 Nota

7 Benedicite gentes Deum
nostrum: & auditam faci-
te vocem laudis eius.
8 Qui posuit animam meã
ad vitam: & non dedit in
cõmotionẽ pedes meos.
9 Quoniam probasti nos,
Deus: igne nos examina-
sti, sicut examinatur ar-
gentum.
10 Induxisti nos in laqueũ,
posuisti tribulationes in
dorso nostro: imposuisti
homines super capita no-
stra.
11 Transiuimus per ignem,
& aquam: & eduxisti nos
in refrigerium.
12 Introibo in domũ tuam
in holocaustis: reddam ti-
bi vota mea, quæ distin-
xerunt labia mea.
13 Et locutũ est os meum:
in tribulatione mea.
14 Holocausta medullata
offeram tibi cum incen-
so arietum: offeram tibi
boues cum hircis.
15 Venite, audite, & narra-
bo, omnes, qui timetis
Deum: quanta fecit Deus
animæ meæ.
16 Ad ipsum ore meo cla-
maui: & exaltaui sub lin-
gua mea.
17 Iniquitatem si aspexi in
corde meo: non exaudiet Dominus. 18 Propterea exaudiuit Deus: & at-
tendit voci deprecationis meæ. 19 Benedictus Deus, qui non amouit ora
tionem meam: & misericordiam suam à me.

PSALMVS LXVI. Hebr. LXVII.

1 DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultũ suum super
nos, & misereatur nostri. 2 Vt

2 *Nota fit ad te parentem*
Qua venitur semita.
Expetitæ Gens salutis
Vadat omnis particeps.
3 *Efferant te prædicantes*
Orbis omnes incolæ.
4 *Gaudio pleni triumphent,*
Te videntes arbitrum
Iuris æqua qui silentem
Lance mundum ponderas.
5 *Efferant te prædicantes*
Orbis omnes incolæ.
Terra quondam parca, Fructu
En suo iam Germinat.
6 *Sit Deus, Deus sit ille*
Noster exorabilis:
Sit Deus benignus anni
Vilitate fertilis.
Et tremiscant numen eius
Orbis omnes incolæ.

2 Vt cognoscamus in terra
viam tuam: in omnibus
gentibus salutare tuum.
3 Confiteantur tibi populi,
Deus: confiteantur tibi
populi omnes.
4 Lætentur, & exultēt gen-
tes: quoniam iudicas po-
pulos in æquitate, & gen-
tes in terra dirigis.
5 Confiteantur tibi populi,
Deus: confiteantur tibi
populi omnes, terra de-
dit fructum suum.
6 Benedicat nos Deus,
Deus noster, benedicat
nos Deus: & metuāt eum
omnes fines terræ.

PSALMVS LXVII.
Hebr. LXVIII.

1 *Sancte Parens exurge, vagos fuga dissipet hostes,*
Formidoq; tui pauidos agat æmula vultus,
Qui rerum Dominum te mente odere maligna.
2 *Fumus vt afflatu spirantis deficit auræ,*
Ceraq; supposito tepefacta vt liquitur igne:
Irradiante Deo sic gens scelerata fatiscet.
3 *Iusti autem veluti celebrent conuiuia, coram*
4 *Numine læta fremant. Age puri carmina magno*
Pangite grata Deo, cantuq; attollite nomen.
Vos illi munite vias, qui solis ab Ortu
Occiduo versat celerem super æthere currum.
5 *Et nomen Dominantis habet. Gaudete frementes*
Ita pij. è cælo quoniam mortalia curat.
Ille fouet gremio pueros genitoribus Orbos,
In viduasq; animo iustus sedet arbiter æquo.

6 Ille

PSALMVS LXVII.
Hebr. LXVIII.

1 Exurgat Deus, & dissi-
pentur inimici eius: &
fugiant, qui oderūt eum,
à facie eius.
2 Sicut deficit fumus, defi-
ciant: sicut fluit cera à fa-
cie ignis, sic pereant pec-
catores à facie Dei.
3 Et iusti epulentur, & ex-
ultent in conspectu Dei:
& delectentur in lætitia.
4 Cantate Deo, psalmum
dicite nomini eius: iter
facite eius, qui ascendit
super occasum, Dominus
nomen illi.
5 Exultate in cōspectu eius,
turbabuntur à facie eius:
patris orphanorum, & iu-
dicis viduarum.

6 Deus

6 *Ille tenens solium stellis radiantibus aptum,*
Mærentes sine prole, facit soboleſcere tæ'as:
7 *Vincula captiuis ceruicibus ænea demit:*
Et populis vindex habitata rebellibus arua,
Mutat in arentes glebas sitientis arenæ.
8 *Alme tui castris populi cùm signifer ibas,*
Per deserta siti, & nullis cultoribus arua:
9 *Terra nouo tremuit penitus conterrita motu,*
Sudauit pauidus formidine numinis æther,
Et iuga fumantis trepidarunt algida Sinæ.
10 *Ille soli faciem pluuialibus irrigat vndis,*
Defessos iterum renouans ad semina campos.
11 *Hinc alit irrigui pratis animalia fœni,*
Hinc miseris inopum tot sufficit horrea turbis.
12 *Cùm trepidant gentes, cũ bella minacia tractãt;*
Ille regens acies & tristia nutibus arma,
Ad cantum & choreas dabit argumenta puellis,
13 *Scilicet vt fugiunt reges, vt castra relinquunt,*
Vt pauci spoliant multos, & sæpe quieti
Læta domum referunt bellorum præmia ciues.
14 *Vos tripodas quamuis inter iaceatis ahenos*
Ferte pij. Veniet tempus quo lucis honorem
Splendentem latè dabitis; ceu sole columba
Aduerso niueis argentea visitur alis,
Et dorso rutilans auri volat æmula fului.
15 *Quando triũphatos Deus arcta in vincla tyrannos*
Misit, in alta suos tunc sidera vexit amicos.
Et prius in tenebris positi, nituere micantes
Aëreus selmon niueo ceu vertice candet.
16 *Sit Bassan mons ille ferax, stellisq; minetur*
Arduus, & riguo lactis fluat vuidus amne:
Qua tamen inuidia monti contendere montes
17 *Audetis quem numen amat? certamq; futurum*
Quem sibi delegit ventura in tempora sedem.
18 *Ille tot alatis equitum se millibus effert,*
Tot currus aciesq; trabit. Nunc ardua Sinæ

19 *Nunc*

6 Deus in loco sancto suo:
Deus, qui inhabitare facit vnius moris in domo.
7 Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui
exasperant: qui habitant
in sepulchris.
8 Deus, cum egredereris in
cõspectu populi tui: cùm
pertransires in deserto.
9 Terra mota est: etenim
cæli distillauerunt à facie
Dei Sinai, à facie Dei
Israel.
10 Pluuiam volũtariam segregabis, Deus, hæreditati
tuæ: & infirmata est, tu
vero perfecisti eam.
11 Animalia tua habitabũt
in ea: parasti in dulcedine
tua pauperi, Deus.
12 Dominus dabit verbum:
euangelizantibus virtute
multa.
13 Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia.
14 Si dormiatis inter medios cleros, pẽnæ colũbæ
deargẽtatę, & posteriora
dorsi eius in pallore auri.
15 Dum discernit cælestis
reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon:
mons Dei, mons pinguis.
16 Mons coagulatus, mons
pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos?

17 Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. 18 Currus Dei decem millibus multiplex: millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.

19 Ascen-

19 *Nunc sua templa subit. Iam victor in æthera tędis*
Captiuosq; greges tecum per inania ducis,
E cæloq; foues populos, donisq; secundas.
Ignarosq; Dei, pietatis ad arma reducis:
20 *Vnde habitare domos, hominumq; videbetis vrbes.*
21 *Nos ideo, quoties aperit sol flammeus Orbem,*
Te Dominum canimus, qui nobis æquore tutum
Lato pandis iter, donasq; salutifer auras.
22 *Tu potes exanimos animare & ferrea diri*
Ostia defunctis iterum recludere lethi.
23 *Cuiuscunq; tamen franges caput, asper in hostes,*
Pascentis vacuas animis infrenibus auras.
24 *At Genitor dixit Bassanis saltibus hostem*
Eripiam, & pelagi renouabo exempla rubentis.
25 *Vt tuus effuso rubeat pes sanguinis amne,*
O animi gens pura vide, canibusq; malorum,
Per medios iaceant lambenda cadauera vicos.
26 *Hæc olim videre Pij, cùm clarus habebas*
Rex idem numenq; mihi, tot rebus honorem,
Cumq; triumphalis cepisti insignia pompæ.
27 *Ibant arguta primi qui voce canebant,*
Quiq; dabant calamis, citharisq; tubisq; sonorem.
Tum circumfusæ plausu fremituq; puellæ
Intermista cauis addebant tympana sistris.
28 *Hunc celebrate Deum Iacobi è sanguine creti,*
29 *Scilicet egregiæ primæuo in flore iuuentæ,*
Qui placido fruitur somni Beniaminus æstu.
30 *Tum Iudæ de stirpe duces, primiq; virorum*
Quos Zabulon misit, quos Nephthalinus in auras.
31 *Rex, tibi cōstituit Genitor Deus addere robur:*
Hoc agat, & donum promissum numine firmet.
32 *Sic vigeat maior Solymæi gloria templi*
Certatimq; ferant alij donaria reges.
33 *Tu populos agita pharetra iaculisq; minaces*
Quiq; ruunt veluti fortes in prælia Tauri,
AEre pacifcentes quicquid fert alea belli.

34 Funde

19 Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus.
20 Etenim non credentes: inhabitare Dñm Deum.
21 Benedictus Domin' die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.
22 Deus noster, Deus saluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.
23 Verumtamē Deus confringet capita inimicorū suorū: verticē capilli perambulātiū in delictis suis.
24 Dixit Dominus: ex Basan conuertam: conuertam in profundū maris.
25 Vt intingatur pes tuus in sanguine: lingua canū tuorū ex inimicis, ab ipso.
26 Viderūt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei: regis mei, q est in sancto.
27 Præuenerunt principes coniuncti psallentibus: in medio iuuencularū tympanistriarum.
28 In Ecclesijs benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.
29 Ibi Beniamin adolescētulus: in mentis excessu.
30 Prīcipes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.
31 Māda, Deus, virtuti tuæ: confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. 32 A templo tuo in Ierusalem: tibi offerent reges munera. 33 Increpa feras arundinis, congregatio taurorū in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati sunt argento.

 34 Dissipa

34 *Funde manu populos quorum fremit arma Cupido;*
Oratum veniet Pharij gens accola Nili,
Aethiopesq; ferent manibus tibi dona supinis.
35 *Regna per humentes terrarum condita fines*
36 *Voce lyraq; Deum cantate in sidera vectum*
Surgentemq; super stellas Orientis ab ora.
37 *Ille suæ imperio, quæ vult facit omnia, vocis;*
Vos illum citharis, vos tollite laudibus illum.
Cuius in Isacidum maiestas stirpe refulget
Nubibus, & cælo toties manifesta sereno.
38 *Sancti dira loci quàm sit venerabile numen*
Relligio factis aperit cælestibus. Ille
Nam Deus Isacidis vires animumq; ministrat,
Ora cui æternas dicant vocalia laudes.

34 Dissipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Aegypto, Aethiopia præueniet manus eius Deo.
35 Regna terræ cantate Deo: psallite Domino.
36 Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli: ad oriente m.
37 Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriã Deo super Israel, magnificẽtia eius, & virtus eius in nubibus.
38 Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

PSALMVS LXVIII.
Hebr. LXIX.

1 *ERipe sancte Parens, tempestas fluctibus vndat,*
Et mihi læthea penè bibuntur aquæ.
2 *Hæreo fixus humi nimius quam diluit humor,*
Est vbi durãti copia nulla soli.
3 *Veni equidem pelagi delatus in ima profundi,*
Nam fera ventosi sorbuit ira freti.
4 *Dum miser auxilium magnis clamoribus oro,*
Debilis in rauco constitit ore sonus.
Lumina deficiunt dum spectant ardua cælum;
An Deus oratam ferret amicus opem.
5 *Cæsaries capitis non est tam densa capillis*
Quam mouet hostiles æmula turba minas.
6 *Immeritoq; calens odijs furialibus instat,*
Et quæ non rapui soluere furta iubent.
7 *Scis, Pater, vt vitæ fuerit mihi candor amori,*
Effugiunt oculos non mea facta tuos.
8 9 *Quare age ne rubeant, tua quærere iussa volentes,*
Res ita despiciant cùm cecidisse meas.
10 *Aspera*

PSALMVS LXVIII.
Hebr. LXIX.

1 SAluum me fac, Deus: qm̃ intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.
2 Infixus sum in limo profundi: & nõ est substãtia.
3 Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me.
4 Laboraui clamans: raucę factę sunt fauces meę: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.
5 Multiplicati sunt super capillos capitis mei: qui oderunt me gratis.
6 Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quæ non rapui, tunc exoluebam. 7 Deus, tu scis insipientiam meam: & delicta mea à te non sunt abscondita. 8 Non erubescant in me, qui expectant te, Domine: Domine virtutum. 9 Non confundantur super me, qui quęrunt te: Deus Israel.
10 Quo-

10 *Aspera te propter toleraui opprobria mutus,*
Tristia signauit decolor ora pudor.
11 *Erubuere suo genitum me sanguine fratres,*
Et miser in patria versor vt exul humo.
12 *Hæc fero quod rerum succendor amore tuarum,*
Probraq; te contra, me quoq; iacta reor.
13 *Siue dolens habui vacuæ ieiunia mensæ,*
Id fuit opprobrio ludibrioq; mihi
14 *Hispida seu rigidis sumpsi velamina setis,*
Hac etiam populo fabula veste fui.
15 *Illusere senes portarum ad limina: risit*
Me calices inter turba iocosa suos.
16 *Quid faciam? tristes animi tibi defero curas,*
Et precor auxilij tempus adesse tui.
17 *O bonitas audi quæ sine coercita nullo es,*
Alme tua dextram nunc mihi tende fide.
18 *Eripe ne mergat luteo niger æquore turbo,*
Ne ferat arbitrio gens inimica suo.
19 *Nubila turbati ne differat ira profundi:*
Ne glomeret tortos me super vnda sinus.
20 *O Pater, ingenio pronus miserescere, fessum*
De supero tantis axe tuere malis
21 *Ne bonus à seruo vultum implorante retorque,*
Quam peto cum lacrymis ocyor affer opem.
22 *Respice, & hanc animam mucronibus eripe gentis,*
Ante sit interitu quàm satiata meo.
23 *Alme tuli genitor quàm fœda opprobria, nosti:*
Et tremulæ quoties erubuere genæ.
24 *Ante tuos oculos hostes, iniuria, probrum,*
Est ignominiæ plaga dolenda meæ.
25 *Qui mea deflendo sentiret vulnera mecum,*
Solando nemo quiue leuaret, erat.

26 *At*

10 Quoniam propter te su-
stinui opprobrium: ope-
ruit confusio faciem meã.
11 Extraneus factus sum
fratribus meis: & pere-
grinus filijs matris meæ.
12 Quoniam zelus domus
tuæ comedit me: & op-
probria exprobrantiũ ti-
bi ceciderunt super me.
13 Et operui in ieiunio ani-
mam meam: & factum est
in opprobrium mihi.
14 Et posui vestimentum
meum cilicium: & factus
sum illis in parabolam.
15 Aduersum me loquebã-
tur, qui sedebant in por-
ta: & in me psallebant, qui
bibebant vinum.
16 Ego vero orationẽ meã
ad te, Domine: tempus
beneplaciti Deus.
17 In multitudine miseri-
cordiæ tuæ exaudi me: in
veritate salutis tuæ.
18 Eripe me de luto, vt non
infigar: libera me ab ijs,
qui oderũt me, & de pro-
fundis aquarum.
19 Non me demergat tem-
pestas aquæ, neque absor-
beat me profundum: ne-
que vrgeat super me pu-
teus os suum. 20 Exaudi me, Dñe, quoniam benigna est misericordia tua:
secundum multitudinẽ miserationum tuarũ respice in me. 21 Et ne auer-
tas faciem tuam à puero tuo: quoniã tribulor, velociter exaudi me. 22 In-
tende animæ meæ, & libera eam: ꝓpter inimicos meos eripe me. 23 Tu scis
improperiũ meũ, & confusionẽ meã: & reuerentiã meã. 24 In cõspectu tuo
sunt oẽs, qui tribulãt me: improperiũ expectauit cor meũ, & miseriã. 25 Et
sustinui, qui simul contristaretur, & nõ fuit: & qui consolaretur, & non inueni,

 26 Et

26 *At qui felle dapes scirent medicare, fuerunt:*
Quiq; darent acidi pocula dira meri.
27 *Ergo vbi crediderint conuiuia, funera cernant,*
Accipiant quales apposuere cibos.
Exitiale sibi videant consurgere bellum,
Conuiuantis vbi fœdera pacis erant.
28 *Aeternæ amittant oculos caliginis vmbra,*
Incuruo aspiciant corpore semper humum.
29 *Funde super meritos tua quæ bene fulminat ira,*
Deprensos agili concremet igne furor.
30 *Nec deserta colant homines tentoria viui,*
Alta ruinosas sed tegat herba domos.
31 *Nam tua percussit quem dextera sæuius vrgent:*
Et probris augent vulnera facta suis.
32 *O sine criminibus factis noua crimina iungant,*
Iustitiæ possint nil vt habere tuæ.
33 *Exime de tabulis illorum nomina, seruant*
Quæ bona post obitum non obitura pijs.
34 *Aeger inopsq; tuæ video si dona salutis,*
35 *Te citharæ fidibus te Pater ore canam.*
36 *Hæc vitulo fuerit iucundior hostia, cornu*
Qui feriat, pedibus prosubigatq; solum.
37 *Hæc videant mites, pandantq; in gaudia pectus,*
Nam iucunda Deum vita colentis erit.
38 *Ille suos inopes audit, bonus adspicit illos,*
Vincula pro causa qui pietatis habent.
39 *Ergo canant illi Tellus, Polus, æquora laudem,*
Quæ cælo, & terra quæq; vagantur aquis.
40 *Incolumi tutam seruabit pace Sionem,*
Et noua per Iudæ mœnia tollet humum.
41 *Hic dabit Isacidum lætos habitare colonos,*
Cultaq; pignoribus tradere rura suis.
42 *Et nati accipient ab auorum stirpe minores,*
Ritè colunt vera qui pietate Deum. PSAL.

26 Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto.
27 Fiat mẽsa eorum coram ipsis in laqueũ: & in retributiones, & in scandalũ.
28 Obscurentur oculi eorũ, ne videant: & dorsum eorum semper incurua.
29 Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.
30 Fiat habitatio eorũ deserta: & in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.
31 Quoniam, quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.
32 Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & nõ intrent in iustitiam tuam.
33 Deleantur de libro viuentium: & cum iustis nõ scribantur.
34 Ego sum pauper, & dolens: salus tua, Deus, suscepit me.
35 Laudabo nomẽ Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.
36 Et placebit Deo super vitulum nouellũ: cornua
producentem, & vngulas. 37 Videant pauperes, & lætentur: quęrite Deum,
& viuet anima vestra. 38 Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vin-
ctos suos nõ despexit. 39 Laudent illum cæli, & terra: mare, & omnia repti-
lia in eis. 40 Quoniam Deus saluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates
Iuda. 41 Et inhabitabunt ibi: & hæreditate acquirent eam. 42 Et semen
seruorum eius possidebit eam: & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

PSAL-

PSAL. LXIX. Hebr. LXX.

1 *HVc ades rerum Pater, à malorum*
Vindica tractum violenter vndis:
Vt tua serues ope, curre sumptis
Ocyor alis.
2 *Qui meæ quærunt animæ ruinam,*
His rubor turpi linat ora fuco:
Palpitent cæci tremefacta neruo
Corda timoris.
3 *Sæua qui fesso mihi moliuntur,*
Irritum mœsti doleant laboris:
Et metu plantas celerante, raptim
Signa reuellant.
4 *Terga confusi iaculanda vertant,*
Qui fremunt læti quoties meorum
Temporum magno subeunda sensu
Vulnera cernunt.
5 *Gaudio iusti potius triumphent,*
Qui tuam sperant cupidè salutem:
Ritè clamantes tibi sit perenni
Gloria cursu.
6 *Scis opes huius tenues egeni,*
Pauperis nosti leue robur huius:
Diues ô rerum, validusq; fractum
Viribus auge.
7 *Es meum numen mihi so vitale,*
Es meæ certus clypeus salutis:
Te Parens vna mora ne retentum
Differat hora.

PSAL. LXX. Hebr. LXXI.

1 *TIbi credidisse spem beate cælitum*
Rex ne pudori sit, vide.
2 *Memor æquitatis at tuæ me vindica,*
Auremq; tende questibus.
3 *Mihi esto rupes euolanti peruia,*
Et portus in quo liberer.
4 *Nam tu salutis ara, tu vitæ es meum*
O alme propugnaculum.

5 Eripe

PSALMVS LXIX.
Hebr. LXX.

1 DEus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuãdum me festina.
2 Confundantur, & reuereantur: qui quærunt animam meam.
3 Auertantur retrorsum, & erubescãt: qui volunt mihi mala.
4 Auertantur statim erubescentes: qui dicant mihi; Euge, euge.
5 Exultent, & lætentur in te omnes, qui quęrunt te, & dicant semper; Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.
6 Ego vero egenus, & pauper sum: Deus, adiuua me.
7 Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine, ne moreris.

PSALMVS LXX.
Hebr. LXXI.

1 IN te, Domine, speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me.
2 Inclina ad me aurem tuã: & salua me.
3 Esto mihi in Deum protectorem, & in locũ munitum: vt saluum me facias.
4 Quoniam firmamentum meum, & refugiũ meum es tu.

5 Deus

5 *Eripe nocentis à manu, grauissimæ*
Ex legis à tyrannide.
6 *O spes ab annis primulis, fiducia*
Ab vngulis infantiæ.
7 *A matris aluo nitor in te, nam mihi*
Es inde tutor vnicus.
8 *Te laude semper efferam, ostentum licet*
Appaream quàm plurimis.
Et ad ferenda damna vi mirabili,
Sed te iuuante præditus.
9 *Ideo tuarum voce plena gloriam*
Laudum perenne concinam.
Dies'q; totos præco magnitudinem
Tui sonabo numinis.
10 *Ne me relinque sub senecta languidum,*
Marcente vt ne deserer.
11 *Sic namq; secum destinauit factio*
Meum coacta in verticem.
12 *Ope destitutum numinis prehendite,*
Nullo tuente vindice.
13 *Tu ne recede longius, sed impetum*
Depelle, quando fecerint.
14 *Pudor retentet, frangat imbecillitas*
Enerue corpus hostium.
Malaq; parantes oblinat coloribus
Affusa contumelia.
15 *Hanc spem fouebo semper, antiquis nouam*
Addendo laudem laudibus.
16 *Semperq; dicam iuris æqui principem*
Fontem salutis vnicum.
17 *Illamq; nullis comprehensam litteris*
Aut terminis clementiam:
Et vim potentem iusta factis præmia
Bonis malisq; soluere

18 *Ab*

5 Deus meus, eripe me de
manu peccatoris: & de
manu cōtra legem agen-
tis,& iniqui.
6 Quoniam tu es patientia
mea., Domine: Domine,
spes mea à iuuētute mea.
7 In te confirmatus sum ex
vtero: de ventre matris
meæ tu es protector
meus.
8 In te cantatio mea sem-
per: tamquam prodigium
factus sum multis, & tu
adiutor fortis.
9 Repleatur os meum lau-
de, vt cantem gloriam
tuam: tota die magnitu-
dinem tuam.
10 Ne proijcias me in tem-
pore senectutis: cum de-
fecerit virtus mea, ne de-
relinquas me.
11 Quia dixerunt inimici
mei mihi: & qui custodie-
bant animam meam con-
silium fecerunt in vnum.
12 Dicentes; Deus dereli-
quit eum, persequimini,
& comprehendite eum:
quia non est, qui eripiat.
13 Deus, ne elōgeris à me:
Deus meus in auxilium
meum respice.
14 Confundantur, & defi-
ciant detrahentes animæ
meæ: operiantur confusione, & pudore, qui quærunt mala mihi.
15 Ego
autem semper sperabo: & adijciam super omnem laudem tuam.
16 Os
meum annunciabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum.
17 Quoniam
non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine memo-
rabor iustitiæ tuæ solius.

18 Deus,

18 *Ab inchoatæ me iuuentæ limine*
Cantare facta gentibus
19 *Tua docuisti, nunc senectæ in vltimo*
Ne da silere termino:
20 *Donec futuris seculis narrauero*
Robur tuæ potentiæ.
21 *Et æquitatem, quæ vagi præteruolat*
Arces olympi flammeas.
Quis alme tecum conferet mortalium
Numen profanus alterum?
22 *Sic te volente dura vidi, viderim*
Vt erigente prospera.
Haustum profundo gurgite, in cæli iubar
Rursus tulisti amabile.
23 *Tuæ addidisti munera indulgentiæ,*
Placatus ad solatia.
24 *Mihi ergo dulci iam caneris nablio,*
Fidem tueri nobilis:
Abramidarum numen, & sanctissimum
Diceris vsq; barbito.
25 *Te vox canendo, spiritus te gaudio*
A morte raptus efferet.
26 *Diesq; totos lingua contestabitur,*
Veriq; & æqui vindicem.
Meos quod hostes irritos dimiseris
Nota pudoris oblitos.

PSALMVS LXXI.
Hebr. LXXII.

1 REx æquitatem, qua regis omnia,
Hanc sancte regis sensibus imprime:
Tuæq; proles regis almum
Iustitiæ decus æmuletur.
2 *Vt plebis æquus pectora temperet;*
Causas egeni protegat integer:
Ac anteponat iustiorem
Diuitijs inopem superbis.

3 Fron-

18 Deus docuisti me à iuuẽtute mea: & vsq; nũc pronunciabo mirabilia tua.
19 Et vsque in senectam, & senium: Deus, ne derelinquas me.
20 Donec annunciem brachium tuum generationi omni: quæ ventura est.
21 Potentiam tuam, & iustitiam tuam, Deus, vsq; in altissima, quæ fecisti magnalia: Deus, quis similis tibi?
22 Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas, & conuersus viuificasti me: & de abyssis terræ iterum reduxisti me.
23 Multiplicasti magnificẽtiam tuam: & conuersus consolatus es me.
24 Nam & ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam: Deus, psallam tibi in cithara, sanctus Israel.
25 Exultabunt labia mea, cum cantauero tibi: & anima mea, quam redemisti.
26 Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: cum confusi, & reueriti fuerint, qui quærunt mala mihi.

PSALMVS LXXI.
Hebr. LXXII.

1 DEus, iudicium tuum regi da: & iustitiam tuam filio regis. 2 Iudicare populum tuum in iustitia: & pauperes tuos in iudicio.

3 *Frondente montes vertice nobiles*
Pacis ministrent dona minoribus:
Exempla colles æquitatis
In populo generosa figant.
4 *Cùm iudicarit pauperis erigat*
Stirpem iacentis, legibus eruat
Idem seueris, molientes
Iudicium temerare fraudes.
5 *Hunc gens timebit postera vindicem*
Dum nota visit sidera Lucifer:
Et multiformi luna curru
Noctiuagos moderatur ignes.
6 *Ceu flagitatus vellera molliter*
Humectat imber, gemmea recreat
Vt gutta blandi roris æstum
Puluereum sitientis arui:
7 *Terris amicum proferet Aequitas*
Sic orta vultum: pacis amabile
Sic immorantis curret æuum
Dum properat vaga luna menses.
8 *Rex hic habenis imperij reget*
Hinc inde quantum cingitur æquore:
Quantumq; decurrunt ab ortu
Ad tumidi maris arua riui.
9 *Illum ante pronus concidet Aethiops,*
Hostes in ipso puluere sordidi
Vultum refigent, osculantes
Quam pedibus premit ille terram,
10 *Reges profundum qui trabe nauigant,*
Frenantq; vasti marmoris insulas
Aurum rependent, sacra thuris
Dona ferent Arabes Sabæi.
11 *Et qui coronant se diademate,*
Curuato honorem poplite deferent:
Illiq; gentes vniuersæ
Subijcient famulare collum.
12 *A vi potentum namq; tuebitur*
Infirmiores, ac opis indigos
13 *Clemens leuabit, ne malorum*
Imparibus rapiantur vndis.

14 Soluet

3 Suscipiant mõtes pacem populo: & colles iustitiam.

4 Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.

5 Et permanebit cum sole, & ante lunam: in generatione, & generationem.

6 Descendet sicut pluuia in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram.

7 Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.

8 Et dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.

9 Coram illo procidẽt Aethiopes: & inimici eius terram lingent.

10 Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent.

11 Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes seruient ei.

12 Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem, cui non erat adiutor.

13 Parcet pauperi, & inopi: & animas pauperum saluas faciet.

14 Ex

14 *Soluet ligatos compede fœnoris:*
Cædi vetabit per violentiam,
Trahiq; egenos, quos honorum
Nominibus decorabit amplis.
15 *Rex quippe secum viuere pauperes*
Auri Sabæi torquibus inclytos
Donabit: illi laude regem
Afficient, humerisq; tollent.
16 *Messes opimæ per iuga montium*
Crescent in altum, flatibus aëris
Quæ verberatæ tam sonabunt,
Quàm Libani crepuere frondes.
Terræq; surgent vberis incolæ,
Vt gramen agris nascitur herbidis,
Quos fontis humor, vel cadentis
Vrna rigat pluuiosa nubis.
17 *Sit nomen eius nobile cantibus,*
Quod est parentis Filius Optimi:
Et iam vigebat solis antè
Quàm nitidæ micuere flammæ.
18 *Gentes beabit, gentibus inuicem*
Ex vniuersis aurea faustitas
Ad eius immortale regnum
Purpureis celerabit alis.
19 *Abramidarum quem domus vnicum*
Deum fatetur, laudibus efferat:
Quæcunq; rerum mira solum
Nutu oculi fieri iubentem.
20 *Sanctumq; nomen numinis euehant*
Aeterna magni secula; gloriæ
Cuius per orbem fama pennis
Latiuagum spatiata curret.

14 Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.
15 Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabũt de ipso semper: tota die benedicent ei.
16 Et erit firmamentum in terra in summis montiũ, superextolletur super Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.
17 Sit nomen eius benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen eius.
18 Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabũt eum.
19 Benedictus Dñs Deus Israel: qui facit mirabilia solus.
20 Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum: & replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.
21 Defecerunt laudes Dauid filij Iesse.

LIBRI SECVNDI FINIS.





LVDOVICI CRVCII OLYSIPPONENSIS SOCIETATIS IESV.

IN LIBRVM PSALMORVM INTERPRETATIONIS POETICAE LATINE,

Liber Tertius.

PSALMVS LXXII.
Hebr. LXXIII.

1 *Pura tuæ seruas quicunque sacraria mentis,*
Aduersis ne cede malis: Qui sæpe nigrantes
Depulit afflicta Iacobi à naue procellas
Te bonus incolumem dabit à torrentibus vndis.
2 *Gressibus incautis abeuntem, & penè ruentem*
3 *Me Domini tenuit bonitas, cùm flamma medullas*
Aemula decoqueret, fontes quòd pacis honore
Muneribusq; dies lætos agitare viderem.
4 *Impia gens ergo successibus ebria, dixi,*
Nec curant obitum, nec lethi vincula, morbos:
Sed mansura suis hæredibus atria ponunt.
5 *Non hominum curas, non experiuntur acuta*
Verbera quæ reliquis mortalibus ossa renudant.

6 Hinc

PSALMVS LXXII.
Hebr. LXXIII.

1 QVam bonus Israel Deus: his, qui recto sunt corde.

2 Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.

3 Quia zelaui super iniquos: pacem peccatorum videns.

4 Quia non est respectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum.

5 In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur.

6 Ideo

6 *Hinc tremulis illos afflata superbia ventis*
Abstulit, oblitos penitus cæliq; suiq;:
Nequitiæ spoliis ac impietatis amictos.
7 *Postquam vota super tectis opulentia creuit,*
Indomiti venis quemcunq; Cupidinis ignem
8 *Accipiunt, animo linguisq; nefaria voluunt.*
9 *Astra super volitant: nunc verbis numina damnant:*
Nunc quemcunq; volunt per terras figere, figunt.
10 *Hæc Domini populus secum tristissima voluit*
Ceu diluta bibat liquidis absynthia lymphis.
11 *Tunc ait, humanæ gentis num cura fatigat*
Vlla Deum? Genitor num prouidus adspicit orbem
12 *Improbus en summis æquat laquearibus aurum,*
Securusq; poli mollissima tempora viuit.
13 *Tristis, egenus ego formidine pallidus Orci,*
Incassum videor me relligione piasse:
14 *Continuisse manus, asperrima quæq; tulisse:*
Nec dum lucifero rumpente silentia noctis
Obiecisse mihi commissa piacula flendo.
15 *Sic dicam res ire? Pios ego dicere cogar*
Extremos hominum, quos tu tua pignora ducis.
16 *Insequor hinc causas aliter penetrare latentes,*
Irrita sed vacuum responsi cura reliquit.
17 *Aurea cùm veniam, Pater, in sacraria dixi,*
Cur sit vita malo iucunda, miserrima iusto
Amborum fuerit cùm meta nouissima, cernam.
18 *Hæc vbi: vidi equidē, vidi quàm perfida lactet*
Prosperitas sontes animos, finis ire volantes
Altius, vnde trahant casu grauiore ruinam.
19 *Miror vt è magna tantorum mole virorum*
Astra lacessentum vestigia nulla supersint.
Quid loquar extinctos propter sua facta superbos?
20 *Et vacuæ similes nebulæ, spectrisq; fuisse:*
Quæ dubia sub nocte metum, sub lumine risum
Visa ferunt? ciues ergo timuere minores
Nunc iidē veluti somni ludibria rident.

21 In-

6 Ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate, & impietate sua.
7 Prodijt, quasi ex adipe, iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.
8 Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam: iniquitatē in excelso locuti sunt.
9 Posuerunt in cœlum os suum: & lingua eorum transiuit in terra.
10 Ideo conuertetur populus meus hic: & dies pleni inuenientur in eis.
11 Et dixerunt; Quomodo scit Deus: & si est scientia in excelso?
12 Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sęculo: obtinuerunt diuitias.
13 Et dixi; Ergo sine causa iustificaui cor meum: & laui inter innocentes manus meas.
14 Et fui flagellatus tota die: & castigatio mea in matutinis.
15 Si dicebam; Narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.
16 Existimabā, vt cognoscerē hoc: labor est ante me.
17 Donec intrem in Sanctuarium Dei: & intelligam in nouissimis eorum.
18 Verūtamen propter dolos posuisti eis: deiecisti
eos, dum alleuarentur. 19 Quomodo facti sunt in desolationem? subito
defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam. 20 Velut somnium surgen-
tium Domine: in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

21 *Interea cæco dum pectore lucis egebam*
Arsit felle dolor, mentem cura anxia torsit:
22 *Inscius obstupui, pecudisq; simillimus hæsi.*
Sed tua desertor miles non castra reliqui,
23 *Quippe manum rector tenuisti ô optime dextram,*
Et duce te scopulos cum laude & nomine fugi.
24 *Quid sine te cælum, tellus quid inhospita prodest?*
25 *Deserat ossa vigor, lacerent præcordia morbi;*
Tu vires, animamq; mihi, tu lumina reddes:
O mihi sola mei vitalia robora cordis.
26 *Heu qui te fugiũt, qui marmora numina fingũt;*
Et tecum viuunt, ceu qui connubia rumpunt,
Quando tuis fixi iaculis extrema videbunt.
27 *Sat mihi te felix viuo, sat diues amico*
28 *Commissas spes alme foue, tua dicere facta*
Patribus accingar lectis, populoq; Sionis.

PSALMVS LXXIII.
Hebr. LXXIV.

1 *Hosti Pastor oues cur negligis alme relictas?*
Gregemq; vastat flamma cur furoris?
2 *O potius fractæ blandus reminiscere gentis,*
Tuo tibi quam iure vindicasti.
3 *Seruitio demptam rex illam vt solus haberes,*
Et è Sionis arce temperares.
4 *Oppida disiectis fumantia respice muris,*
Contaminata sacra vise Templi.
5 *Ecce tui lituis hostes cecinere canoris,*
Solennitates vt tuas profanent.
6 *Signaq; murorum fixerunt barbara pinnis,*
Futura templi ceu trophæa victi.
7 *Sacra palam multis tonat icta securibus ædes,*
Vt sylua ramo cæsa duriore.
Diuinæ insolitis perfecta laboribus artis,
Velluntur ictu fracta malleorum. 8 *Quæ*

21 Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.
22 Vt iumẽtum factus sum apud te: & ego semper tecum.
23 Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.
24 Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?
25 Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum.
26 Quia, ecce qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.
27 Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Dño Deo spem meam.
28 Vt annunciẽ omnes prędicationes tuas: in portis filiæ Sion.

PSALMVS LXXIII.
Hebr. LXXIV.

1 Vt quid, Deus, repulisti in finem: iratus est furor tuus super oues pa-
scuę tuę. 2 Memor esto cõgregationis tuæ: q̃ possedisti ab initio. 3 Rede-
misti virgã hęreditatis tuæ: mons Sion, in quo habitasti in eo. 4 Leua manus
tuas in superbias eorũ in finẽ: quãta malignatus est inimicus in Sancto? 5 Et
gloriati sunt, qui oderunt te: in medio solẽnitatis tuæ. 6 Posuerũt signa sua,
signa: & nõ cognouerũt sicut in exitu super summũ. 7 Quasi in silua lignorũ
securibus exciderunt ianuas eius in idipsũ: in securi, & ascia deiecerũt eam.

8 Incen-

8 *Quæ coluere tuum nomen penetralia, fumant*
Polluta scelere barbari furoris.
9 *Conuenere hostes, placuit succidere cuncta*
Deiq; festas amouere luces.
10 *Signa tacent, nemo diuina oracula pandit.*
Nec nouit huius exitum procellæ.
11 *Quo tamen vsque ferox in te bacchabitur hostis?*
Impunè verbis vsq; quo lacesset?
12 *Cur in sacrilegos adeò tua fulmina cessant?*
Sinuq; condis dexteram fouenti?
13 *O Rex omnipotens, nobisq; salutifer olim,*
His mira terris solus edidisti.
14 *Fluctibus assurgens virtus tua diffidit æquor,*
Capita draconum fregit inter vndas.
15 *Aethiopum coruis in se redeunte profundo*
Dedit epulandum naufragum tyrannum.
16 *Protulit è viuo manantia flumina saxo,*
Siccauit vndas amnium perennes.
17 *Noxq; diesq; tuis obeunt sua munera iussis,*
Aurora prodit, sol coruscat orbem.
18 *Tu vaga fundasti stabilem super æquora terram:*
Aestate fætam, vere germinantem.
19 *Impia verba hostis, tantùm hoc reminiscere, dixit:*
Populusq; vecors numen ore læsit.
20 *Pasce feras rex alme tua ne Turture crudas,*
Oblitus animas pauperum tuorum.
21 *Quod fuit antiquis cum patribus adspice fœdus:*
Et nos opacis abditos cauernis.
Regnat vbi in miseros feritas scelerata per vmbras
Iniuriosi conscias doloris.
22 *Ne miser attonito spretus ferat ore pudorem,*
Da pauper vnde te leuante cantet.

23 Surge

8 Incenderunt igni Sanctuarium tuum: in terra polluerũt tabernaculum nominis tui.
9 Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: quiescere faciam⁹ omnes dies festos Dei à terra.
10 Signa nostra non vidimus: iam nõ est propheta: & nos non cognoscet amplius.
11 Vsquequo, Deus, improperabit inimicus: irritat aduersarius nomẽ tuum in finem?
12 Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam: de medio sinu tuo in finem?
13 Deus autem rex noster ante sæcula: operatus est salutem in medio terrę.
14 Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.
15 Tu cõfregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Aethiopum.
16 Tu dirupisti fontes, & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan.
17 Tuus est dies, & tua est
nox: tu fabricatus es auroram, & solem. 18 Tu fecisti omnes terminos ter-
ræ: æstatem, & ver tu plasmasti ea. 19 Memor esto huius, inimicus impro-
perauit Domino: & populus insipiens incitauit nomen tuum. 20 Ne tradas
bestijs animas confitentes tibi: & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris
in finem. 21 Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt, qui obscura-
ti sunt terræ domibus iniquitatum. 22 Ne auertatur humilis factus confu-
sus: pauper, & inops laudabunt nomen tuum.

23 Exur-

23 *Surge tuam Genitor quando potes aspice causam,*
Opprobriorum vel memor tuorum.
Impia quæ populus iactat ludibria vecors
Attende, iusta vindices vt ira.
24 *Ne secura ferant tumidas obliuia voces,*
Tumultuando quas loquuntur hostes.
Sed qui despiciunt stulto tua numina fastu,
Domiti superbos exuant tumores.

23 Exurge, Deus, iudica causam tuã: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

24 Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

PSALMVS LXXIV. Hebr. LXXV.

1 *TE rex canemus maxime cælitum,*
Tuumq; nomen carmina patrio
De more tollent, quod saluti
In dubijs solet esse rebus.
2 *Miranda seris facta nepotibus,*
Et persequemur nos tua cantibus:
At tempore inquis destinato
Adueniens dabo iura mundo.
3 *Tunc laxa terræ fabrica diffluet,*
Omnes tremiscent partibus incolæ
Orbis reuulsis, solus altis
Quem posui stabilem columnis.
4 *Insanientes stulta capessite,*
Ne facta dixi: tollite cornua.
Ne vos profani, quos in astra
Impietas furiosa mittit.
5 *Cessate vanis motibus impij*
Cælo minari, parcite vocibus
Iniuriosis quæ lacessunt
Iam Domini patientis iras.
6 *Non ortus vltor, non erit Occidens,*
Non solitudo frondea montium:
Nam ius olympi fabricator
Iudicio grauiore dicit.
7 *Hunc ille ponet si volet infimum,*
Illum per auras tollet honoribus:
Cratere pleno nam ministrat
Fæce merum vitiante vinum.

8 Semper

PSALMVS LXXIV. Hebr. LXXV.

1 CONfitebimur tibi, Deus: confitebimur, & inuocabimus nomen tuum.

2 Narrabim' mirabilia tua: cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.

3 Liquefacta est terra, & omnes, qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.

4 Dixi iniquis: Nolite inique agere: & delinquentibus; Nolite exaltare cornu.

5 Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui aduersus Deum iniquitatem.

6 Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus: quoniam Deus iudex est.

7 Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.

8 Et

8 *Semper bibendæ diuite poculo*
Ad fæcis imum proluet impios:
Inebriato donec omnem
Artifici scelerum propinet.
9 *Docebo gentes hæc ego posteras*
Iustisq; numen laudibus efferam:
Gens Abrahami cui fidelis
Legitimis operatur aris.
10 *Dixisse dicam te bone Conditor,*
Frangam malorum cornua, verticem
Tollam bonorum sic, vt illos
Exanimi vereantur hostes.

PSAL. LXXV. Hebr. LXXVI.

1 *Spectra vos gentes prece fabulosa,*
Thuris & fumo colitis Sabæi:
At Deum Iudæ venerantur vnum
Oppida verum.
Illius sanctum domus vna nomen,
Isaci castis numeris amicat:
Patrij cantus meditatur illi
Moris auitos.
2 *Arduæ colles habitat Sionis,*
Pace florentem Solymam quietã
Fundat, & tantæ colit vrbis intrã
Pergama sedem.
3 *Fregit hic vires animosiores,*
Aeneos arcus, clypeos & enses:
Asperi belli nimis efferatas
Contudit iras.
4 *Alta prædantum iuga quam ferarum*
Celsior vultum Pater extulisti:
Vnde turbatis fera palpitarunt
Corda superbis.
5 *Namq; sopiti grauitate somni*
Arma vecordes fremuere dites;
Sed nihil dextris potuere vinctis
Tendere contrã.
6 *Vt tuæ vocis tremefecit aures*
Impetus, fluxis equites habenis
Victa frigenti posuere victi
Lumina somno.

7 Tu

8 Et inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.

9 Ego autem annunciabo in sæculum: cantabo Deo Iacob.

10 Et omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua iusti.

PSALMVS LXXV. Hebr. LXXVI.

1 Notus in Iudæa Deus: in Israel magnũ nomen eius.

2 Et factus est in pace locus eius: & habitatio eius in Sion.

3 Ibi confregit potentias arcuum: scutum, gladiũ, & bellum.

4 Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.

5 Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.

6 Ab increpatione tua, Deus Iacob: dormitauerunt qui ascenderunt equos.

7 Tu

7 *Tu potes mentes agitare sontes,*
Sed quis occurret tibi cum minaci
Igneo tortos glomerauit æstu
Ira vapores?
8 *Arbitrum moto quoties Olympo*
Te doces Orbi fore iudicando,
Incolæ terra metuente, clauso
Ore silescunt.
9 *Talis inuadet metus insolentes,*
Cùm tua mites ope liberatos
Aureo vindex hilarabis almæ
Pacis honore.
10 *Ira mortalis violenta cordis*
Cedet in laudem tibi vindicanti:
Et coercenti reliquum minace est
Quicquid ab ira.
11 *Conscium votis caput obligate,*
Ritè soluendo tamen expedite:
Et Deo casti properate ciues
12 *Dona timendo.*
Ius habet solus necis atq; vitæ,
Vt duces lethi per opaca mittat;
Et reluctantes humili tyrannos
Puluere condat.

7 Tu terribilis es, & quis resistet tibi: ex tunc ira tua.
8 De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, & quieuit.
9 Cum exurgeret in iudicium Deus: vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.
10 Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.
11 Vouete, & reddite Domino Deo vestro: omnes, qui in circuitu eius affertis munera.
12 Terribili, & ei, qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terræ.

PSALMVS LXXVI.
Hebr. LXXVII.

1 *INuocaui conditorem*
Voce lamentabili:
Conditor voci benignus
Inuocantis annuit.
2 *In periculis adiui*
Fessus illum maximis.
Nocte palmas alleuaui
Aestuante pectore.
3 *Mens amica respuebat*
Auribus solatia.
At Dei memor fremebam
Fluctuante spiritu.

4 Lumi-

PSALMVS LXXVI.
Hebr. LXXVII.

1 VOce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi.
2 In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus.
3 Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum: & defecit spiritus meus.

4 Antici-

4 *Luminum fuere somno*
Non plicatæ palpebræ.
Hæsitans vt impedito
Vocis vsu constiti.
5 *Cogitabam mutus æui*
Anteacti secula.
6 *Et tibi sonare noctes*
Quas solebam barbito.
Corde sic loquebar, angens
Hisce curis spiritum.
7 *Me Deus reliquit annos*
In futuri temporis?
Nec meis aduertet aurem
Questibus placabilem?
8 *Sistet an perennis amnem*
Refluum clementiæ:
9 *Moris oblitus paterni*
Cùm solebat parcere?
Et benignitatis iræ
Sæua cursum reprimet?
10 *Quid labores ægra, dixi,*
Mens quid vrges inscia?
Ipse mundi rector affert
Has vicissitudines.
11 *Ergo caute mente voluam*
Facta magni principis:
Adfuit suis vt olim
Nempe tot miraculis.
12 *Templa cæli picta claris*
Syderum fulgoribus.
Sicca temperata lymphis,
Frigidis ardentia.
Tot benignæ facta cernam
Arte prouidentiæ.
13 *Semper idem, verus author*
Es viæ sanctissimæ.
Quis Deus tibi Deorum
Conferetur omnium?
Alme tu rerum creator
Mira solus efficis.

4 Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus.

5 Cogitaui dies antiquos: & annos ęternos in mente habui.

6 Et meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar, & scopebam spiritum meum.

7 Nunquid in ęternum proijciet Deus: aut non apponet, vt complacitior sit adhuc?

8 Aut in finem misericordiam suam abscindet: à generatione in generationem?

9 Aut obliuiscetur misereri Deus: aut continebit in ira sua misericordias suas?

10 Et dixi; Nunc cœpi: hæc mutatio, dexterę excelsi.

11 Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

12 Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinuentionibus tuis exercebor.

13 Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia.

14 *Nosse gentibus dedisti*
Vim tuæ potentiæ.
Cùm Iacobi à seruitute
Vindicasti posteros.
15 *Aequoris te conspicatæ*
Sunt vt vndæ turgidi:
Horruerunt à profunda
Pensiles voragine.
16 *Te iubente ceciderunt*
Imbre plena nubila.
Rupta cœli fulminauit
Obstrepentis Ianua.
17 *Tunc tuæ penna sagittæ*
Transierunt alite
Vox tonitrui globosum
Terrefecit æthera.
18 *Creber incendit corusci*
Fulgor orbem fulguris.
Et solutis ægra Tellus
Palluit compagibus.
19 *Tu per vndas ambulasti*
Detegentes alueum.
Institit tuis tyrannus
Non tamen vestigijs.
20 *Pastor vt, gregi, tuorum*
Hac præisti semita.
Mose facti tam stupendi
Ac Arone prævio.

14 Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob, & Ioseph.
15 Viderunt te aquę, Deus, viderunt te aquæ: & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.
16 Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.
17 Etenim sagittæ tuæ trãseunt: vox tonitrui tui in rota.
18 Illuxerũt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, & contremuit terra.
19 In mari via tua, & semitę tuæ in aquis multis: & vestigia tua nõ cognoscentur.
20 Deduxisti, sicut oues populum tuum: in manu Moysi, & Aaron.

PSALMVS LXXVII.
Hebr. LXXVIII.

1 *Isacidæ monitis aperite fidelibus aurem,*
Et memori penitus mea pectore figite dicta.
2 *Vera, sed arcanis mysteria condita rebus*
Eloquar, & priscæ fidei monumenta reuoluam.
3 *A nobis audita quidem, sed visa parentum*
Omnia luminibus, nos qui docuere minores:
4 *Tempora ne gentis seræ ventura laterent.*

5 *Narra-*

PSALMVS LXXVII.
Hebr. LXXVIII.

1 Attẽdite, popule meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.
2 Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.
3 Quãta audiuimus, & cognouimus ea: & patres nostri narrauerũt nobis.
4 Non sunt occultata à filijs eorum: in generatione altera.

5 Narran-

5 *Narrarunt ideo laudes, cecinereq; lætis*
Plausibus alma Dei quæ mira potentia fecit.
6 *Nam cùm iura daret profugis Genitoribus olim,*
7 *Omnipotens, pepigit facta immortalia natis*
Differerent, vt posteritas oritura teneret:
8 *Atq; aliis eadem miracula proderet annis.*
9 *Scilicet vt veterum tam rara exempla secuti,*
Credere se Domino properent in rebus egenis:
Et fido memores tantarum pectore rerum
Iussa, pii, sacris à legibus eruta discant.
10 *Ne patrum similis gens dura atq; aspera surgat*
11 *Deuia sponte sequens, monitis incredula veris.*
12 *En genus Ephremi doctum pugnare sagittis*
Cum pharetra amisso certamina deserit arcu,
13 *Quod Domini leges, audax quod fœdera soluit.*
14 *Menteq; Niliacas aboleuit facta per oras.*
15 *Scilicet vt coram proauis Deus oppida Nili*
16 *Prodigiis turbauit agens, maris æquora rupit,*
Hinc atq; hinc instar gemini pendentia muri:
Isacidæ fugerent vt per vada sicca nepotes.
17 *Nube regebat iter sol quando errabat Olympo,*
Igne, polum tenebris nox quando obscura tenebat.
18 *Arentem silicem desertas inter arenas*
Diffidit, & populum venis satiauit aquarum:
Ceu fluerent scatebris largè fluuialibus vndæ.
19 *Ergo per incisi terebrata foramina saxi*
Misit aquas, plenis irent ceu flumina ripis.
20 *At nihil in melius versi noua crimina texunt,*
Vnde lacessiti sæuiret numinis ira.
21 *Nam deserta soli cùm sicci inuisa tenerent,*
Tentauere Deum, ventrisq; cupidine cæci

22 *His*

5 Narrantes laudes Domini, & virtutes eius: & mirabilia eius, quæ fecit.
6 Et suscitauit testimoniũ in Iacob: & legem posuit in Israel.
7 Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filijs suis: vt cognoscat generatio altera.
8 Filij, qui nascentur, & exurgent: & narrabunt filijs suis.
9 Vt ponant in Deo spem suam: & non obliuiscantur operum Domini, & mandata eius exquirant.
10 Ne fiant, sicut patres eorum: generatio praua, & exasperans.
11 Generatio, quæ non direxit cor suum: & non est creditus cum Deo spiritus eius.
12 Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum: conuersi sunt in die belli.
13 Non custodierunt testamentum Dei: & in lege eius noluerunt ambulare.
14 Et obliti sunt benefactorum eius: & mirabilium eius, quæ ostendit eis.

15 Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti: in campo Taneos. 16 Interrupit mare, & perduxit eos: & statuit aquas quasi in vtre.
17 Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis. 18 Interrupit petram in eremo: & adaquauit eos, velut in abysso multa. 19 Et eduxit aquam de petra: & deduxit tamquã flumina aquas. 20 Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram excitauerunt excelsum in inaquoso. 21 Et tentauerunt Deum in cordibus suis: vt peterent escas animabus suis.

22 *His adeò fœdis epulas petiere querelis.*
Inter saxa Deus nullo squalentia cultu
Instructas dapibus poterit ne apponere mensas?
23 *Ille rigens saxum tetigit, tactumq; secuto*
Flumine torrentes exundauere liquores:
24 *Dona laboratæ properet nunc mollia frugis,*
Et mensis epulas dulces genialibus addat.
25 *Audijt, & iusta Pater inflammatus ab ira*
Castra super misit trifidas ardentia tædas.
Isacidumq; rogo domuit populante furorem.
26 *Tot factis non vsq; Deum posse omnia norunt,*
In rebus nec opem sperarunt affore duris.
27 *Nec minus interea donis epularibus aluos*
Vt cupidas satiet, liquidam iubet aëre nubem
Stare sereno, & cælestia limina pandi.
28 *Tum primum æthereas cæli pluit area fruges,*
29 *Oraq; triuerunt panem mortalia Diuûm*
Indulgente Deo large venerabile donum.
30 *Hic animas calidi flantes compescuit Euri*
31 *Et iussit spirare Notum, quo decidit imber*
Insolitus volucrum, ceu pulueris arida nubes.
Quam multæ Oceani fluctu glomerantur arenæ
32 *Alituum cecidere super tentoria turmæ.*
33 *His saturos epulis (nondum tamen ora quierãt*
34 *Ingluuie stimulata) Dei quatit ira minacis:*
35 *Sternit humi proceres, & corpora lecta iuuentæ.*
36 *Sed nec supplicijs fracti, nec amore retenti,*
Aut scelus oderunt, aut impietate relicta
Agnouere Deum per tot miracula notum.
37 *Ante diem raptos ergo sine laude necabat,*
Succidens vitæ pauidos ignobilis annos.
38 *Cùm passim ruerent, subita pietate redibant:*
Maneq; supplicibus, flentes admissa, querelis
39 Orabant

22 Et male locuti sunt de
Deo: dixerunt; Numquid
poterit Deus parare mẽ-
sam in deserto?
23 Quoniam percussit pe-
tram, & fluxerunt aquæ: &
torrentes inundauerunt.
24 Numquid & panem po-
terit dare: aut parare
mensam populo suo?
25 Ideo audiuit Dominus,
& distulit: & ignis accen-
sus est in Iacob, & ira a-
scendit in Israel.
26 Quia non crediderunt
in Deo: nec sperauerunt
in salutari eius.
27 Et mãdauit nubibus de-
sup: & ianuas cęli aperuit.
28 Et pluit illis manna ad
manducãdum: & panem
cæli dedit eis.
29 Panem Angelorũ man-
ducauit homo: cibaria
misit eis in abundantia.
30 Transtulit Austrum de
cælo: & induxit in virtu-
te sua Africum.
31 Et pluit super eos, sicut
puluerem carnes: & sicut
arenam maris volatilia
pennata.
32 Et ceciderunt in medio
castrorum eorum: circa
tabernacula eorum.

33 Et mãducauerunt, & saturati sunt nimis, & desideriũ eorũ attulit eis: non
sunt fraudati à desiderio suo. 34 Adhuc escæ eorũ erant in ore ipsorum: &
ira Dei ascendit super eos. 35 Et occidit pingues eorũ: & electos Israel im-
pediuit. 36 In omnib' his peccauerũt adhuc: & nõ crediderũt in mirabilib'
eius. 37 Et defecerunt in vanitate dies eorũ: & anni eorum cũ festinatione.
38 Cũ occideret eos, quęrebãt eũ, & reuertebant: & diluculo veniebãt ad eũ.

39 Et

39 Orabant veniam: Dominum sua tela vocabant
40 Auxilium clypeumq; : doli sed conscia lingua
Hoc adeo patrem studio lactabat inani
41 Quippe animis stabant veteris periuria moris
Fixa, nec ad pactas flectebant pectora leges.
42 Ipse autem facilis peccantum ignoscere culpæ
43 Sæpe lacessitas iræ reuocauit habenas,
Nec sæuire dedit, quantum meruere furori.
44 Quin homines meminit quã noxia corpora tardent
Ventorum similes, qui quando turbine perflant
Conuersi renuunt alis remeare sonoris.
45 O quoties illi deserta per auia questi
Exacuere Deum? quoties per inhospita siccis
Arua locis Domini mouere immobilis iras?
46 Rursus ad ingenium ambiguum moresq; reuersi
Tentauere Deum, circumscripsere vigorem.
47 Nec meminere diem quo sæuo ex hoste redemptos
48 Eripuit, cum prodigijs vltricibus actam
Terruit Aegyptum, & Taneos lacrymabilis arua.
49 Ille cruentauit, biberent ne pocula, riuos:
50 Morsibus infestas per regia limina muscas
Egit, & immissam squalenti, à flumine ranam.
51 Fructibus aucta nouis brucho dedit arua, locustis
Quicquid humo credunt homines, sperantq; coloni:
52 Pampineas strauit boreali grandine vites:
Arboreos glacie fœtus, lapidumq; sorono
53 Abstulit imbre greges, animalia cætera flammis.
54 Irarum in Pharios populos laxauit habenas
Cuncta ruens furias inimica per oppida soluit.
55 Tum morti reclusit iter, lateq; vagante
Peste hominum turbas etiam iumenta peremit

56 Natorum

39 Et rememorati sũt, quia
Deus adiutor est eorum:
& Deus excelsus redem-
ptor eorum est.
40 Et dilexerũt eum in ore
suo: & lingua sua mentiti
sunt ei.
41 Cor autem eorum non
erat rectum cum eo: nec
fideles habiti sunt in te-
stamento eius.
42 Ipse autem est miseri-
cors, & propitius fiet pec-
catis eorum: & non dis-
perdet eos.
43 Et abundauit, vt auer-
teret iram suam: & non
accendit omnem iram
suam.
44 Et recordatus est, quia
caro sunt: spiritus vadẽs,
& non rediens.
45 Quoties exacerbauerũt
eum in deserto: in iram
concitauerũt eum in ina-
quoso.
46 Et conuersi sunt, & ten-
tauerunt Deum: & sanctũ
Israel exacerbauerunt.
47 Non sunt recordati ma-
nus eius: die, qua redemit
eos de manu tribulantis.
48 Sicut posuit in Aegypto
signa sua: & prodigia sua in campo Taneos. 49 Et conuertit in sanguinem
flumina eorũ: & imbres eorum ne biberent. 50 Misit in eos cœnomyiam, &
comedit eos: & ranã, & disperdidit eos. 51 Et dedit ærugini fructus eorũ: &
labores eorũ locustę. 52 Et occidit in grandine vineas eorũ: & moros eorũ
in pruina. 53 Et tradidit grandini iumẽta eorũ: & possessiones eorum igni.
54 Misit in eos iram indignationis suę, indignationem, & iram, & tribulatio-
nem: immissiones per angelos malos. 55 Viam fecit semitæ irę suæ, & non
pepercit à morte animabus eorum: & iumenta eorum in morte conclusit.

56 Et

56 *Natorum primas animas generisq; domusq;*
Spem tulit, Aegypti campos qua Nilus inundat
Et vaga progenies figit tentoria Chammi.
47 *At bonus Isacidum post tot miracula gentem*
Commissas vt oues per tesqua horrentia duxit.
58 *Nec trepidi casus rerum timuere minaces,*
Vnda Parethonios postquam bibit obuia currus.
59 *Et tandem patriæ ductos in finibus Oræ*
Constituit, dextræ inuicto quam robore cepit
60 *Indigenis omni bellorum clade sepultis.*
Sortitusq; domos, & fertilis oppida glebæ
61 *Inuertenda dedit, quos vexerat, arua colonis:*
Et domitæ gentis captos habitare penates.
62 *Nec tentare minus, Dominumq; lacessere factis*
Cura fuit, pactas aut fœdere soluere leges.
63 *Sed procul auersi ruperunt iura fidemq;*
Et patrum similes mores didicere suorum.
Vt redeunt in se laxati à funibus arcus,
Sic praui in faciem vitæ rediere prioris:
64 *Flagitijsq; nouis acuerunt numinis iram.*
Impia per virides fecere altaria colles:
Inq; Deûm varias conflarunt æra figuras.
65 *Audijt omnipotens & detestabilis odit*
Facta profana domus, fastiditamq; reliquit.
66 *Tunc non fatidicæ placuit Cortina Siloës,*
Vnde dabat quondam trepidis oracula rebus:
67 *At tulit à sæuo, fusis legionibus, arcam*
Hoste capi, decorisq; sui prætoria ferri.
68 *Isacidas ferro iugulari, & prædia fortis*
Cara suæ flammis populata sequacibus vri.
69 *Incendi iuuenes, sine virginitatis honore*
Indeploratas mortem subijsse puellas.

70 Ense

56 Et percussit omne pri-
mogenitum in terra Ae-
gypti: primitias omnis
laboris eorum, in taber-
naculis Cham.
57 Et abstulit sicut oues po-
pulum suum: & perduxit
eos tamquam gregem in
deserto.
58 Et deduxit eos in spe, &
non timuerunt: & inimi-
cos eorum operuit mare.
59 Et induxit eos in mon-
tem sanctificationis suæ:
mõtem, quem acquisiuit
dextera eius.
60 Et eiecit à facie eorum
gentes: & sorte diuisit eis
terram in funiculo distri-
butionis.
61 Et habitare fecit in ta-
bernaculis eorum: tribus
Israel.
62 Et tentauerunt, & exa-
cerbauerunt Deum ex-
celsum: & testimonia eius
non custodierunt.
63 Et auerterunt se, & non
seruauerunt pactũ: quem-
admodum patres eorum
conuersi sunt in arcum
prauum.
64 In iram concitauerunt
eum in collibus suis: & in
sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt. 65 Audiuit Deus,
& spreuit: & ad nihilum redegit valde Israel. 66 Et repulit tabernaçu-
lum Silo: tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus. 67 Et tradi-
dit in captiuitatem virtutem eorum: & pulchritudinem eorum in manus
inimici. 68 Et conclusit in gladio populum suum: & hæreditatem suam
spreuit. 69 Iuuenes eorum comedit ignis: & virgines eorum non sunt
lamentatæ.

70 Sacerdo-

70 *Ense sacerdotes mactari; ad funera nullas*
Curanda occisis viduas superesse maritis.
71 *Et tandem veluti somno vigilasset ab alto,*
Post crapulam miles vel sæuus in arma ruisset:
72 *Increpuit, telisq; suos petit obuius hostes,*
Spicula secretis infigens lurida plagis:
Spicula dedecoris monumenta æterna futuri.
73 *Non tamē Ephræmi, Iosephi aut sanguine cretū*
Regifica sacri phiala clarauit oliui:
74 *Sed Iudæ de stirpe genus, montemq; Sionis*
Quem voluit terris semper magis omnibus vnum
75 *In sedem regni, & templi fundamina legit,*
Duratura, soli dum pendula machina durat.
76 *A patrijs famulum caulis ad regna Dauidem*
77 *Extulit, vt populum regeret quem gentibus vnum*
78 *E reliquis vult esse suum. Nec segnior ille*
Pauit, & egregia ductor mentisq; manusq;
Arte suos fouit, bellisq; exterruit hostem.

PSALMVS LXXVIII.
Hebr. LXXIX.

1 *IN tua venerunt Genitor patrimonia gentes:*
Et tua quæ fuerant, barbarus hostis habet.
Sancta profanati fumant oracula templi:
E Solymis lapidum vasta ruina manet.
2 *Heu tua iura feri populi tua iussa colentes*
Vulturijs auidos apposuere cibos.
Heu nimium diro exemplo lanianda piorum
Corpora montanis trunca dedere feris.
3 *Instar aquæ Solymis riui vndauere cruoris:*
Nec fuit extinctos qui sepeliret humo.
4 *Quàm sumus opprobrium vicina per oppida vecti:*
Fabula finitimis quàm memoranda locis?

5 Quo

70 Sacerdotes eorū in gladio ceciderunt: & viduæ eorum non plorabantur.
71 Et excitatus est, tanquā dormiens Dominus: tanquam potens crapulatus à vino.
72 Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.
73 Et repulit tabernaculum Ioseph: & tribū Ephraim non elegit.
74 Sed elegit tribum Iuda: montem Sion, quem dilexit.
75 Et ædificauit sicut vnicornium sanctificiū suum in terra: quam fundauit in sæcula.
76 Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: de post fœtantes accepit eum.
77 Pascere Iacob seruum suum: & Israel hæreditatem suam.
78 Et pauit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

PSALMVS LXXVIII.
Hebr. LXXIX.

1 DEus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. 2 Posuerunt morticina seruorum tuorum, escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. 3 Effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam, in circuitu Ierusalem: & non erat, qui sepeliret. 4 Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

5 *Quo tamen vsq; tuæ populabitur impetus iræ;*
Aemulus ardentis vel furor ignis erit?
6 *Sæua tui in gentes ignaras fulmina mitte,*
Inscia vel nomen regna vocare tuum.
7 *Vt fera Iacobi sobolem quæ cruda vorarunt,*
Solaq; de cultis arua dedere locis.
8 *Ne veteres vltor scelerum reminiscere labes*
Ante sed euersos verte benignus ope.
9 *Alme faue, miseris ades auxiliaribus armis,*
Nominis vt redeat gloria prisca tui.
Hac admissa tenus pœnis damnaueris vltor:
Nominis est ingens parcere fama tui,
10 *Verba lacessentes populi cur impia dicent,*
Scilicet ille Deus vester amicus, vbi est?
Sacrilegos vtinam videamus soluere pœnas:
Et videant gentes se sua damna pati.
11 *Innocui fusos vlciscere sanguinis amnes;*
Accipe quam vincli compede dura gemant.
12 *Incute vim Genitor, tenebrosa ergastula pande,*
Eripe quos victrix deuouet ira neci.
13 *Finitimi nostras habeant cum fœnore clades*
Qui tibi dixerunt impia verba, luant.
14 *Nos tuus alme tuo grex olim inclusus ouili,*
Carmina dicemus læta futura tibi.
15 *Nec canet vnius tantùm gens postera secli:*
Quæ fuerit mundo sospes eunte, canet.

PSALMVS LXXIX.
Hebr. LXXX.

1 *ABramidarum rector, ô Iosephidas*
Qui ducis vt pastor gregem.

2 Premis

5 Vsquequo, Domine, irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?
6 Effunde iram tuã in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.
7 Quia comederunt Iacob: & locum eius desolauerunt.
8 Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.
9 Adiuua nos, Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.
10 Ne forte dicant in gentibus; Vbi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris.
11 Vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est: introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.
12 Secundum magnitudinem bracchij tui: posside filios mortificatorum. 13 Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi, Domine. 14 Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ: confitebimur tibi in sæculum. 15 In generationem, & generationem: annunciabimus laudem tuam.

PSALMVS LXXIX. Hebr. LXXX.

1 QVi regis Israel, intende: qui deducis, velut ouem, Ioseph.

2 Qui

2 *Premis sedendo qui rubentes alites,*
O quæ precamur, accipe.
In Ephraimi Beniamini, & vltimi
Fratris Manassæ Gratiam:
Oris coruscam fulminantis lampada
Ostende te vocantibus.
3 *Tuæ tremenda signa da potentiæ,*
Et nos amicos sospita.
4 *Collige repulsos: ore blandus adspice,*
Et liberi seruabimur.
5 *Deus arma cuius imperata nutibus*
Ponunt minaces impetus:
Quo nam vsq; plebis vota charæ differes
Auersus iracundia?
6 *Largo genarum fonte deplorantium*
Ingrata roras fercula.
Auges aquarum de genis cadentium
Amara riuis pocula.
7 *Vtri priores spolia de nobis ferant,*
Te dante certant accolæ.
Ridentq; nostris lætiores cladibus.
8 *O qui gubernas prælia,*
Collige repulsos, ore blandus adspice
Et liberi seruabimur,
9 *Tu transtulisti vineam Aegypti è solo,*
Tuis serendam fertili
Manibus in aruo; barbaræ propaginis
Vnde eruisti semina.
10 *Vitæ fuisti ductor. Vt radicibus*
Hæsit, per arua pampinos
11 *Sparsit comantes. Eius alta vertices*
Vestiuit vmbra collium.
Cedros flagella prenderant repentia,
12 *Ad rauca ponti littora.*
Euphratis vndas vsq; fama nobiles
Se palmites effuderant.
13 *Cur nunc aperta sæpe transeuntium*
Relinquis in vindemiam?

14 *Aper*

2 Qui sedes super Cherubim: manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse.
3 Excita potentiam tuam, & veni: vt saluos facias nos.
4 Deus conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.
5 Domine Deus virtutum: quousque irasceris super orationem serui tui?
6 Cibabis nos pane lacrymarum: & potum dabis nobis in lacrymis in mẽsura?
7 Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: & inimici nostri subsannauerunt nos.
8 Deus virtutum, conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.
9 Vineã de Aegypto transtulisti: eiecisti gentes, & plantasti eam.
10 Dux itineris fuisti in cõspectu eius: plantasti radices eius, & impleuit terram.
11 Operuit montes vmbra eius: & arbusta eius cedros Dei.
12 Extendit palmites suos vsque ad mare: & vsque ad flumen propagines eius.
13 Vt quid destruxisti maceriam eius: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?

14 *Apër cruentus vastat, omnis vndiq;*
Depascit agri bellua.
15 *Reuerte, nutu bella qui regis tuo,*
Hanc cerne ab alto vineam.
16 *Ramum tuere quem tua cultum manu*
Hæsisse terræ videras.
Saltem rogatus annues ob Filium
Quem nobilem clarissimis
17 *Factis dedisti. Nam quod arsit ignibus,*
Sectumq; ferro marcuit:
Periit, acerba dum tui vultus faces
Emisit indignatio.
18 *Sed nunc misericors dextera virum leua,*
Illumq; firma viribus.
19 *Quo fundis hostem. Deseremus vnicam*
Non te salutis anchoram.
Auris amicum redditi vitalibus,
Sed numen inuocabimus.
20 *Qui præliorum nutibus potens regis.*
Formidolosos exitus:
Huc oris alma verte clari lumina,
Mox liberi seruabimur.

14 Exterminauit eam aper de silua: & singularis ferus depastus est eam.
15 Deus virtutum, conuertere: respice de cælo, & vide, & visita vineam istam.
16 Et perfice eam, quam plantauit dextera tua: & super filium hominis, quẽ confirmasti tibi.
17 Incensa igni, & suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt.
18 Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: & super filium hominis, quẽ confirmasti tibi.
19 Et non discedimus à te, viuificabis nos: & nomen tuum inuocabimus.
20 Domine Deus virtutũ, conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.

PSALMVS LXXX.
Hebr. LXXXI.

1 *IN Dei laudem memores auiti*
Eia plaudendo resonate ciues:
Isaci proles duce quo per omne
Splenduit æuum.
2 *Carmen adiuncto crepitu sonori*
Tympani fas est recitare festum:
Nabliis gratæ citharæ iocosos
Addere neruos.
3 *Luna cùm primos nouat orta menses,*
Plena vocalem tuba det canorem:
Cùm diem festis agimus calendis
Buccina clangat.
4 *Sic Deo quondam statuente, patres*
Ritè sanxerunt fieri per annum:
Sic auis olim fuit approbato
Fœdere cautum.

PSALMVS LXXX.
Hebr. LXXXI.

1 EXultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.
2 Sumite psalmum, & date tympanum: psalterium iucundum cum cithara.
3 Buccinate in Noemenia tuba: in insigni die sollemnitatis vestræ.
4 Quia præceptum in Israel est: & iudicium Deo Iacob.

5 *Namq;* 5 Testi-

5 *Namq; Iosephi voluit minores*
Hunc diem testem memorare fastis:
Quo reliquerunt Pharijs soluti
Legibus oram:
Barbaræ voces vbi nationis
Hospites muti prius audierunt:
6 *Postea seruis humeris coacti*
Tollere moles.
At Deus vindex onerata dixit
Dorsa curuanti Cophino leuaui.
Isaci proles superante vires
Fessa labore.
7 *Cùm meam dextram gemitu rogares,*
Annui claræ sonitu procellæ:
Et tui feci Meribæ periclum
Fontis ad vndas.
8 *Ergo gens lectæ modò fortis audi,*
Namq; testabor fore te beatam:
Ni Deûm vanis aliena fingis
Numina sacris.
9 *Ipse sim numen tibi solus vnum,*
Qui potens rupi Pharias cathenas:
Plura quàm votis bona flagitabis
Tunc ego reddam.
10 *Restitit durus populus monenti,*
Nec suam vecors patefecit aurem:
Irrita in ventos bene dicta solui
Passus inanes.
11 *Tum suo vt sensu furerent, reliqui:*
Quæ sequi vellent, sequerentur vltro:
Et Deûm inuentis agerent profani
Ritibus æuum.
12 *Si meis aurem monitis dedissent,*
Et meum proles iter ambulasset
Isaci, quondam meditata pactas
Fœdere leges:
13 *Versus in sæuos ego totus hostes*
Clade triuissem populis loquenda:
Quæq; nunc vexant, mea perdidisset
Dextera gentes.

14 *Vtq;*

5 Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra Aegypti: linguam, quam non nouerat, audiuit.

6 Diuertit ab onerib' dorsum eius: manus eius in cophino seruierunt.

7 In tribulatione inuocasti me, & liberaui te; exaudiui te in abscōdito tempestatis: probaui te apud aquam contradictionis.

8 Audi populus meus, & contestabor te: Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deum alienum.

9 Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum, & implebo illud.

10 Et non audiuit populus meus vocem meam: & Israel non intendit mihi.

11 Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.

12 Si populus meus audisset me: Israel si in vijs meis ambulasset.

13 Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam.

 14 Inimi-

14 *Vtq; victorum fugerent duella,*
Verba mendaci loquerentur ore:
Isaci contra fruerentur alta
Pace nepotes.
15 *Prodigo tellus quibus alma partu*
Tritici spicas grauidas tulisset:
Mella sudassent vbicunq; duræ
Rosida cautes.

PSAL. LXXXI. Hebr. LXXXII.

1 *INter potentes Conditor astitit,*
Qui fixa reddunt iura minoribus:
Illosq; Iudex æquitatis
Admonuit temerare leges.
Formidolosa voce coarguens
2 *Quonam vsq;,dixit,iusta,reuellitis?*
Damnatis æquos cur egentes,
Propter opes sceleratiorum?
3 *Quin vos egenum tollitis imparem*
Diti superbo? quin miserabiles
Fulcitis Orbos, & leuatis
Pauperiem sine dote victam?
4 *Arcete fractos à violentiæ*
Iniuriosæ turbine pauperes:
Ne ferte egenos esse prædam
Diuitibus malè gratiosis.
5 *Hæc cùm monerem, nil sapientius*
Videre fraudum nubibus obruti:
Nec exulanti iure legum
Præcipiti ruitura casu
Quæcunq, terræ fabrica sustinet.
6 *Verum est: Creaui vos necis arbitros*
Vitæq;; celsi nempe diuos
Arbitrij ditione feci.
7 *Sed plebis instar funere sordido*
Olim cadetis: sedeq; regia
Pulsos, Tyranni, vos silentes
Accipient Erebi lacunæ.
8 *Tu legum habenas ô Deus accipe,*
Tu iura terris redde volentibus:
Hæreditatis iure, rerum
Imperium tibi tradet Orbis.

PSAL-

14 Inimici Domini mentiti sunt ei:& erit tempus eorum in sæcula
15 Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle saturauit eos.

PSALMVS LXXXI. Hebr. LXXXII.

1 DEus stetit in synagoga deorum:in medio autem deos diiudicat.
2 Vsquequo iudicatis iniquitatem: & facies peccatorum sumitis?
3 Iudicate egeno,& pupillo: humilem, & pauperem iustificate.
4 Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.
5 Nescierunt, neque intellexerunt,in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ.
6 Ego dixi; Dij estis: & filij excelsi omnes.
7 Vos autem sicut homines moriemini: & sicut vnus de principibus cadetis.
8 Surge Deus, iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.



PSAL-

PSALMVS LXXXII.
Hebr. LXXXIII.

1 *NE Genitor ſileas, inbibe ne tela quietus:*
Adeſſe neue differ inuocantibus.
2 *Ecce tui verbis fremuere minacibus hoſtes:*
In te pereſi ſuſtulere verticem.
3 *Iurato Iſacidas decreuerunt tollere bello:*
Tuoq; ſanctos pectori gratiſſimos.
4 *Ferte citi ferrum, penitus quin cædimus aiunt,*
Stirpis odioſæ nequa ſint veſtigia?
5 *Vnanimes etiam ſtatuere euertere ritus,*
Tuiq; iura ſacroſancta fœderis.
Iungit Idumæis ſocijs tentoria, priſci
Ab Hiſmaelis orta gens origine.
6 *Iuncto conueniunt Agareni in caſtra Moabo:*
Geballus, Ammon, Ammalechus additur.
Quiq; Palæſtinæ vaſtos arat accola fines:
Tyriq; viuit vrbis intra mœnia.
7 *Coniurata ſimul Syriæ capit arma iuuentus:*
Merendo Lothi poſteros vt adiuuet.
8 *Hos, Pater, vt Siſaram, Madianaq; prælia redde*
Ciſſonta propter vt Iabini copias
9 *Flumen apud Dorium iacuere cadauera, campis*
Iucunda meſſes in futuras pabula.
10 *Horum pone duces quales Orebus in armis,*
Fuere Zebbus, Zebeas, & Salmana.
11 *Auſi omnes animis hæc dicere verba ſuperbis:*
Pulchra occupemus numinis ſacraria.
12 *Verte rotæ ſimiles, Genitor, ſtipulæq; volantis*
Spirantis auræ ſicut eſt arbitrium.
13 *Vt rapiunt auidæ ſylueſtria robora flammæ,*
Igniq; montes incidente concrepant.
14 *Hos inuolue tuæ ſic tempeſtatibus iræ,*
Aeſtu furoris inquietos arripe.

15 Fac

PSALMVS LXXXII.
Hebr. LXXXIII.

1 DEus, quis ſimilis erit
tibi? ne taceas, neq;
compeſcaris, Deus.
2 Quoniã ecce inimici tui
ſonuerunt: & qui oderunt
te, extulerunt caput.
3 Super populũ tuum ma-
lignauerunt conſilium: &
cogitauerunt aduerſus
ſanctos tuos.
4 Dixerunt; Venite, & diſ-
perdamus eos de gente:
& non memoretur nomẽ
Iſrael vltra.
5 Quoniam cogitauerunt
vnanimiter: ſimul aduer-
ſum te teſtamentum diſ-
poſuerunt, tabernacula
Idumæorum, & Iſmahe-
litæ.
6 Moab, & Agarenſ, Gebal,
& Ammon, & Amalec:
alienigenæ cum habitan-
tibus Tyrum.
7 Etenim Aſſur venit cum
illis: facti ſunt in adiuto-
rium filijs Loth.
8 Fac illis, ſicut Madian, &
Siſaræ: ſicut Iabin in tor-
rente Ciſſon.
9 Diſperierunt in Endor:
facti ſunt, vt ſtercus terrę.
10 Pone principes eorum
ſicut Oreb, & Zeb: & Zebee, & Salmana. 11 Omnes principes eorum:
qui dixerunt; Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei. 12 Deus meus,
pone illos, vt rotam: & ſicut ſtipulam ante faciem venti. 13 Sicut ignis,
qui comburit ſiluam: & ſicut flamma comburens montes. 14 Ita perſe-
queris illos in tempeſtate tua: & in ira tua turbabis eos.

15 Imple

15 *Fac ignominiæ maculosa labe rubescant:*
Orare discant numen vt pressi tuum.
16 *Hinc pudor, inde metus nutantia pectora turbet:*
Lethi perennis vrgeat necessitas.
17 *Esse tibi nomen tunc maiestate verendum*
Scient, Idemq; terra confitebitur.

PSALMVS LXXXIII.
Hebr. LXXXIV.

1 *Conspicienda tui quam sunt tentoria templi,*
O Deus arbitrio qui regis arma tuo?
Atria cùm repeto viuis me vrentia flammis:
Aethereas alacri vix fero mente faces.
2 *Corq; & membra micant hilari exultantia motu:*
Qua possunt Dominum singula voce canunt.
3 *Atria (si memoro) latebras vbi passer amicas*
Inuenit, & pullos nutrit hirundo suos.
4 *Ah rex armipotens ego templi altaria solus*
Quod modò non possum corpore, mente colo.
5 *Felices habitant tua qui sacraria, nullis*
Temporibus claudent laudibus ora tuis.
6 *Is quoq; præcipuo quem cingis robore, felix:*
Ingreditur sanctas corde regente vias.
Qua lacrymæ gelida stillant in valle sonantes
Hic noua de largo pocula fonte bibet.
7 *Monstrat olympiaci qui iura capessere regni,*
Cælestis liquidas hauriet amnis aquas.
Hos alia ex aliis dites opulentia reddet,
Donec conspiciant vrbe Sione Deum.
8 *O Deus armipotens quæ nunc precor accipe lenis,*
Respue difficili ne mea vota manu.
9 *O clypeus, statio nostræ ô fidissima vitæ,*
In Christi facie lumina fige tui.
10 *Ad tua templa dies fuerit iucundior vnus,*
Addita quàm vitæ secula plura meæ.

11 Asser-

15 Imple facies eorũ ignominia: & quærent nomen tuum, Domine.
16 Erubescant, & conturbentur in sæculum sęculi: & confundantur, & pereant.
17 Et cognoscant, quia nomen tibi Dñs: tu solus altissimus in omni terra.

PSALMVS LXXXIII. Hebr. LXXXIV.

1 QVam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea, in atria Domini.
2 Cor meum, & caro mea: exultauerũt in Deum viuum.
3 Etenim passer inuenit sibi domum: & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos.
4 Altaria tua, Domine virtutum: rex meus, & Deus meus.
5 Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in sęcula sęculorum laudabũt te.
6 Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco, quem posuit.
7 Etenim benedictionem
dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in
Sion. 8 Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe,
pe, Deus Iacob. 9 Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Chri-
sti tui. 10 Quia melior est dies vna in atrijs tuis: super millia.

11 Elegi

11 *Asseruare domus hic clauiger ostia mallem:*
Sceptrifer in scelerum quàm ditione coli.
12 *Sol, clypeusq; (bonos etenim tua gratia munit,*
Gloria clarabit cùm super astra feres)
13 *Non tu parcus eris casto indulgere fauorem,*
Qui se ne maculet nocte dieq; videt.
O Genitor sistis qui bella sonantia, felix
Omnia qui valida spe tibi nixus obit.

PSALMVS LXXXIV. Hebr. LXXXV.

1 *IAm tua vindictæ ponit clementia vultum*
Sancte Parens; Etenim populum miserata iacentem
Quem tibi conciliat, dominis crudelibus aufert.
2 *Quippe bonus facilisq; nefas & crimina tollens,*
Alta suis condant tenebris obliuia mandas.
3 *Iraq; ne penitus tua desæuiret, habenis*
Vsus es, & meritum vetuisti ardere furorem.
4 *Vita salusq; tuum conuerte in mitia pectus,*
Nosq; fatigatis ex hostibus effice amicos.
5 *Semper ne Isacidum Stirpi indignabere vindex?*
Propter auos vltrix torquebit pœna nepotes?
6 *Consilium refer in melius: vitæ halitus errat*
Siquis adhuc animis illum ô vitalibus auge:
Et populus Domino lætabitur æger amico.
7 *Os Pater ergo tuæ bonitatis amabile nuda*
Signaq; venturæ profer cælestia vitæ
8 *Auribus attentis seruabo ex æthere vocem*
Quæ populo veniet speratæ nuncia pacis:
9 *Exorata bonis, ne diffidentia victos*
Torqueat, & curis iterum mendacibus vmbret.
10 *Nec procul alma salus iustorum à limine tendit,*
Gloriaq;, vt nostras semper colat hospita sedes.
11 *Quin*

11 Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.
12 Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus.
13 Non priuabit bonis eos, qui ambulãt in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

PSALMVS LXXXIV. Hebr. LXXXV.

1 BEnedixisti, Domine, terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.
2 Remisisti iniquitatẽ plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.
3 Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.
4 Conuerte nos, Deus salutaris noster: & auerte irã tuam à nobis.
5 Nunquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?
6 Deus, tu conuersus viuificabis nos: & plebs tua lętabitur in te.
7 Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: &
salutare tuum da nobis. 8 Audiam quid loquatur in me Dominus Deus:
quoniam loquetur pacem in plebem suam. 9 Et super sanctos suos: & in
eos, qui conuertuntur ad cor. 10 Verumtamen prope timentes eum salu-
tare ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra.

11 *Quin etiam posito tandem certamine diuæ*
Prisca Fides, Bonitasq; manus in fœdera iungent,
Et Pax Iustitiæ dabit oscula fida sorori.
12 *Deq; solo virtus orietur conscia veri,*
Lætior aspiciet quam cælo Astræa relicto.
13 *Annuet Omnipotens, rorem pluet æthere blandum*
Vnde suum tellus pariet iustissima fructum.
14 *Nec serpent adeò veteris contagia morbi*
Quippe sui Domini gressus comitabitur Aequum,
Pacatumq; reget patrijs virtutibus Orbem:
Et fraudum miseras soluet formidine terras.

11 Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt.
12 Veritas de terra orta est: & iustitia de cęlo prospexit.
13 Etenim Dominus dabit benignitatẽ: & terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos.

PSAL. LXXXV. Hebr. LXXXVI.

1 *ADuerte blandus aurem*
Tuam Pater roganti:
Quem solitudo vexat
Et contumax egestas.
2 *Serui tuere vitam*
Ius ætheris colentem:
Me sospita vocantem
Te spem suæ salutis.
3 *Succurre, nam per omnes*
Solis vocaris horas:
Fer læta gestienti
Ad te leuare mentem.
4 *Nam mitis & benignus*
Clementia paterna,
Soles opem rogatam
Afferre postulanti.
5 *Nunc ore quæso blando*
Me sancte rector audi:
Ad æqua vota flecte
Tuam parumper aurem.
6 *Cùm detonat procella*
Formidolosa rerum,
Te quæro. nec recusas
Præbere te serenum.
7 *Nemo tibi Deorum,*
Par extat aut secundus:
Tuæq; facta dextræ
Molitur alma nemo.

8 *Quæ-*

PSALMVS LXXXV. Hebr. LXXXVI.

1 INclina, Domine, aurem tuã, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego.
2 Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum, Deus meus, sperãtẽ in te.
3 Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te, Dñe, animã meã leuaui.
4 Quoniã tu, Domine, suauis, & mitis: & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.
5 Auribus percipe, Dñe, orationẽ meam: & intende voci deprecationis meæ.
6 In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.
7 Non est similis tui in dijs, Domine: & non est secundum opera tua.

8 Omnes

8 *Quæcunq; gens olympo*
Subiecta permeanti
Accedet, vt te adoret
Suum precata numen.
9 *Nam magnus es, potensq;*
Patrare mira solus:
Deusq; viuis vnus
Nec occidens, nec ortus.
10 *O alme veritatis*
Me da tenere calles:
Cor expia, timescat
Vt te tuumq; numen.
11 *Mens omne cantet æuum*
Te fæcibus piata,
Tuumq; læta condat
Laudando nomen astris.
12 *Expertus ergo blandum*
Clementiæ fauorem:
Me testor ex Auerni
Per te rediisse portis.
13 *Iniqua gens coactis*
Me viribus petiuit:
Nec vindicem Tonantem
Sperauit affuturum.
14 *At lenis & benignus*
Duræq; parcus iræ,
Quæ polliceris omni
Integritate reddis.
15 *Misertus intuere,*
Potentiaq; firma
Hunc, quem tibi dicauit
Ancilla fœta vernam.
16 *Da signa me perosi*
Quæ palpitent videndo:
Tuoq; vt erubescant
Me sospitem fauore.

8 Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te, Domine: & glorificabūt nomen tuum.
9 Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.
10 Deduc me, Domine, in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.
11 Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.
12 Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.
13 Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.
14 Et tu, Domine Deus, miserator, & misericors: patiens, & multæ misericordiæ, & verax.
15 Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo: & saluum fac filium ancillæ tuæ.
16 Fac mecum signum in bonum, vt videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu, Domine, adiuuisti me, & consolatus es me.

PSAL-

PSALMVS LXXXVI.
Hebr. LXXXVII.

1 *VRbis amat supra Iacobi cætera Patris*
Deus ostia clara Sionis.
Hanc in conspicuis fundauit montibus arcem,
Valido quam robore munit.
2 *Magna tuæ venient olim præconia famæ,*
O regia numinis alma.
3 *An tibi certarit riguo Pharos humida Nilo:*
Altis Babylonia muris?
4 *Quin Pharos & Babylon supplex te agnouerit olim*
Tyros & Nabatheia regna.
5 *Scilicet ille suo te nobilitauerit ortu*
Quod rex super æthera notus.
Rex qui te impositam fundauit collibus vrbem,
Et seruat mœnia custos.
6 *Omnia cùm referet populorum nomina census,*
Dominus dabit æthere signum:
Hic genitum claris testabitur argumentis
Quem regem in secula fecit.
7 *At citharis in te, choreis & carmine ludent:*
O lætæ Patria gentis.

PSALMVS LXXXVII.
Hebr. LXXXVIII.

1 *SIue oriẽs retegat, seu vesperus occulat Orbem,*
Inuoco te vitæ spesq; salusq; meæ.
2 *Supplicibus Genitor pande ô tua limina votis:*
Aure preces tolera non renuente meas.
3 *Mens satiata malis iam non fert tædia vitæ,*
Ipseq; lethæis quam propè mergor aquis?
4 *Iam feror è numero quorum fugit halitus auras,*
Respiciens cineris busta futura mei.
Liber at effugerem clades, si mortuus essem:
Et tamen à multis mortuus esse feror.
5 *Ceu gladio cæsi, quorum obliuiscitur Orbis*
Quos tua visa fuit destituisse manus.
6 Me

PSALMVS LXXXVI.
Hebr. LXXXVII.

1 FVndamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.
2 Gloriosa dicta sunt de te: ciuitas Dei.
3 Memor ero Rahab, & Babylonis: scientium me.
4 Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum: hi fuerunt illinc.
5 Nunquid Sion dicet; Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus.
6 Dominus narrabit in scripturis populorũ: & principum horum, qui fuerũt in ea.
7 Sicut lętantium omnium: habitatio est in te.

PSALMVS LXXXVII.
Hebr. LXXXVIII.

1 DOmine Deus salutis meæ: in die clamaui, & nocte coram te.
2 Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.
3 Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit.
4 Aestimatus sum cum descendẽtibus in lacum: factus sum, sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. 5 Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt.

6 Posue-

6 *Me caua præcipitem Barathri in spelæa dedisti:*
Mortis vbi gelidæ tristior vmbra silet.
7 *Et super immersum calidi iacis arma furoris,*
Et tua me rapidis fluctibus ira vorat.
8 *Diffugere omnes, voluisti hoc tu quoq;, noti:*
Esset in aspectu ceu rata pœna meo.
9 *Tum grauis incubuit duri violentia morbi,*
Ex oculis acies fugit adempta meis.
10 *Hic voco te manibus clamando in sidera iunctis,*
Siue dies vmbram, seu fugat vmbra diem.
11 *Visne potens lethi reuocando extincta videri*
Membra, tibi laudes vt rediuiua canant?
12 *Tene bonum dicent tumulati ex aggere busti?*
Vel seruare datam qui periere fidem?
13 *An tenebræ noscent tua facta, an regna silentum*
Iustitiam, æternum iussa silere, canent?
14 *Te voco, te memoro, nec dum fruor æthere viuus*
Mane feram laudes anteuenire meas.
15 *Sed quid adhuc dura placari mente resistis?*
Auersoq; meas despicis ore preces?
16 *En ego quem primis penuria vexat ab annis,*
Quem labor, ablatâ quem timor angit ope.
17 *Me tua sæpe suo deterruit ira tumultu,*
Et super afflictum detonuere metus.
18 *Agmine namq; vno cuncti incubuere dolores,*
In sata ceu pluuiæ funditur imber aquæ.
19 *Ah tibi sic placitum, à me diffugere sodales,*
Cladibus offensi nec doluere meis.

PSALMVS LXXXVIII. Hebr. LXXXIX.

1 *Dvm curru æthereum sol aureus ambit Olympũ,*
Flamma nitet spirant auræ, ciet æquora ventus
Terra noui croceis pubescit floribus anni:
2 Te

6 Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis, & in vmbra mortis.
7 Super me cõfirmatus est furor tuus: & oẽs fluctus tuos induxisti super me.
8 Longe fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi.
9 Traditus sum, & nõ egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.
10 Clamaui ad te, Domine, tota die: expandi ad te manus meas.
11 Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?
12 Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?
13 Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: & iustitia tua in terra obliuionis?
14 Et ego ad te, Domine, clamaui: & mane oratio mea præueniet te.
15 Vt quid, Domine, repellis orationẽ meam? auertis faciem tuam à me?
16 Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem humilia-
tus sum, & conturbatus. 17 In me transierunt iræ tuæ: & terrores tui contur-
bauerunt me. 18 Circumdederunt me, sicut aqua tota die: circũdederunt
me simul. 19 Elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria.

PSALMVS LXXXVIII. Hebr. LXXXIX.

1 Misericordias Domini: in æternum cantabo.

2 *Te largum donare canam Pater optime, dicam*
Alma tuæ fidei populis exempla futuris.
3 *Dicam equidem quando figebas sidera mundo*
Tunc placuisse tibi nostræ miserescere gentis.
Et prius in nihilum cælestia posse resolui,
Quam tua sancta fides cursum bonitasq; retardent.
4 *Fœdera selecto iurasti immota Dauidi,*
Scilicet æternum venturam in regia prolem
5 *Sceptra, nec amissi variandum limina regni,*
6 *At polus auratis quoties argentea signa*
Explicat ordinibus, manuum monumenta tuarum
Admiranda canit: cætusq; & sacra piorum
Templa tuæ fidei durare immobile pactum.
7 *Se quis olympiaca tecum componet in aula,*
Dicere vel similem desertor penniger audet?
8 *Concilio in magno tua sola potentia diuûm*
Fulget, & exanima pauidos formidine terret,
9 *An tibi bellipotens numen par induit arma?*
Maiestas, & sancta fides, & conscia veri
Te circum figit vestigia candida virtus.
10 *Tu mare conturbas, conturbatumq; serenas,*
Et sternis pelagi missas in sidera moles.
11 *Tu Pharon inuisam ceu ferro armatus adisses,*
Et cum Niliaca iugulasti stirpe Tyrannum.
12 *Te vocat authorem cælum, te pendula tellus,*
Orbis, & in triplici quicquid viget ordine rerum:
Nam totidem fulcis solido fundamine moles.
Tu Gelidum pennis Boream glacialibus armas:
Tu piceis animas humentem nubibus Austrum:
13 *Te iuga verticibus surgentia Thabor & Hermon*
Ambo canunt, tollis solus quod in æthera montes.
14 *Omnipotens tu robur habes, tua dextera vires*
Ostendat generosa suas. Tibi conscia Iusti,
15 *Compo-*

2 In generationem, & generationem annunciabo veritatem tuam: in ore meo.

3 Quoniam dixisti; In æternum misericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.

4 Disposui testamentum electis meis, iuraui Dauid seruo meo: vsque in æternum præparabo semen tuum.

5 Et ædificabo in generationem, & generationẽ: sedem tuam.

6 Confitebuntur cæli mirabilia tua, Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum.

7 Quoniã quis in nubibus æquabitur Domino? similis erit Deo in filijs Dei.

8 Deus, qui glorificatur in consilio Sanctorum: magnus, & terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt.

9 Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, & veritas tua in circuitu tuo.

10 Tu dominaris potestati maris: motum autem flu-
ctuum eius tu mitigas. 11 Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum: in
brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. 12 Tui sunt cæli, & tua est
terra, orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti: aquilonem, & mare
tu creasti. 13 Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum bra-
chium cum potentia. 14 Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: iu-
stitia, & iudicium præparatio sedis tuæ.

15 Miseri-

15 *Componit solium virtus: it proxima vultu*
Ridenti bonitas, & quæ reuocare negando
Ignorat promissa fides. Qui talia nouit
O populus, Dominoq; sacras operatus ad aras
Exultat patrio lituis de more canoris.
16 *Tales alme tui radiatum à lumine vultus*
Ingrediuntur iter: Scuto se nominis vmbrant:
17 *Iustitiæ valido circum tutamine cingunt.*
Hinc illos decorat quæcunq; est gloria factis,
Et nos imperij sceptris dominamur auiti
18 *Tu Deus Isacidum clypeus, tu numine regem*
Protegis, Abramidum cui ius regnumq; dedisti.
19 *Tu quondam arcano pandens oracula visu*
Sanctis alma tuis, es talia voce locutus
Egregium virtute virum, cui robur & ingens
Pectus in arma dedi, è medio sine nomine plebis
Extuli, vt imposito faciam diademate regem.
20 *Inueni famulum Iessea è stirpe Dauidem,*
Hunc stillare super phialam dignabor oliui:
21 *Huic mea terrificis manus auxiliabitur armis:*
Contra hostes vnum reddent mea robora firmum.
22 *Non eius spolijs, non vectigalibus hostes*
Proficient, fraudum nec tendere callidus artes.
23 *Quin ego terribilem vultu contra agmina sistam*
Victor vt hos sternat, plantisq; fugacibus illos
Iam deploratam cogat sperare salutem.
24 *Sancta fides illum, bonitas comitabitur illum,*
Auspicijsq; mei tollet sua nominis arma.
25 *Hinc tyrio partum definiet æquore regnum,*
Inde per Euphratis liquidas metabitur vndas.
26 *Me patrem, numenq; suum, clypeumq; salutis*
Supplice quando preces effuderit ore, vocabit,
27 *Illum ego regnantum veluti sit origine primus,*
Ante alios iubeo radijs fulgere coronæ,
28 *Aeterno amplectar carum bonitatis amore;*
Quæ pepigi nec erũt venturis irrita seclis.
29 At

15 Misericordia, & veritas
præcedent faciem tuam:
beatus populus, qui scit
iubilationem
16 Domine, in lumine vul-
tus tui ambulabunt, & in
nomine tuo exultabunt
tota die: & in iustitia tua
exaltabuntur.
17 Quoniam gloria virtutis
eorum tu es: & in bene-
placito tuo exaltabitur
cornu nostrum.
18 Quia Domini est assum-
ptio nostra: & sancti Israel
regis nostri.
19 Tunc locutus es in visio-
sione Sanctis tuis, & dixi-
sti; Posui adiutorium in
potente: & exaltaui ele-
ctum de plebe mea.
20 Inueni Dauid seruum
meum: oleo sancto meo
vnxi eum.
21 Manus enim mea auxi-
liabitur ei: & brachium
meum confortabit eum.
22 Nihil proficiet inimicus
in eo: & filius iniquitatis
non apponet nocere ei.
23 Et concidã à facie ipsius
inimicos eius: & odien-
tes eum in fugam con-
uertam.
24 Et veritas mea, & mise-
ricordia mea cum ipso: &
in nomine meo exaltabi-
tur cornu eius.
25 Et ponam in mari manum eius: & in fluminibus dexterã
eius.
26 Ipse inuocabit me; Pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salu-
tis meę.
27 Et ego primogenitũ ponam illum: excelsum præ regibus terræ.
28 In æternũ seruabo illi misericordiã meam: & testamentũ meũ fidele ipsi.
29 Et

29 *At prolem & solium totidem durare per annos*
Largiar, ætherei moles quot habebit Olympi.
30 *Si tamen exleges frangent mea iura nepotes;*
Auertentq; suos à recti tramite gressus:
31 *Sacra nouis etiam conuellere ritibus ausi:*
32 *Verberibus pœnisq; vltor commissa piabo.*
33 *At mea nec bonitas se regi offensa negabit*
34 *Nec variata fides pactis iurata reuellet.*
Iuratumq; semel manet alta mente repostum,
35 *Per me sceptra geret soboles æterna Dauidis:*
36 *Et stabit solium mansuri immobile regni.*
Sol & luna mihi præsentia lumina mundum
Quæ radiant, maneant dictorum in secula testes.
37 *Nunc autẽ irarum Pater æstu accensus anhelo*
Negligis, & regem mandas procul ire repulsum.
38 *Fœdera dissoluis, capiti diadema reuellis,*
Versatumq; soli squalenti in puluere fœdas,
39 *Mœnia ponis humi: firma immunita relinquis.*
40 *Ergo illum spoliat quicunq; fit obuius hostis,*
Finitimæ pulsum terræ ferus accola ridet.
41 *Quiq; premunt illum vires te addente superbi*
Accipiunt animos, & gestis gaudia rebus.
42 *At nostros acie gladios feriente retundis,*
43 *Auxilijs populum medio in certamine priuas.*
Tu decus antiquum belli, tu pacis honorem,
Et soliũ pereuntis humas miserabile nomen.
44 *Ante diem cogis trepidam cecidisse iuuentam,*
Dedecori reliquos ignominiæq; reseruas.
45 *Sed quis erit finis? quæ tanto meta labori?*
Qua prece, quo voto flammata piabitur ira?
47 *Quàm*

29 Et ponam in sæculum
sæculi semen eius: & thro-
num eius, sicut dies cæli.
30 Si autem dereliquerint
filij eius legem meam: &
in iudicijs meis non am-
bulauerint.
31 Si iustitias meas profa-
nauerint: & mãdata mea
non custodierint.
32 Visitabo in virga iniqui-
tates eorum: & in verbe-
ribus peccata eorum.
33 Misericordiam autem
meam non dispergam ab
eo: neque nocebo in ve-
ritate mea.
34 Neque profanabo testa-
mentum meum: & quæ
procedunt de labijs meis
non faciam irrita.
35 Semel iuraui in sancto
meo; si Dauid mentiar:
semen eius in æternum
manebit.
36 Et thronus eius, sicut sol
in conspectu meo, & sicut
luna perfecta in æternũ:
& testis in cælo fidelis.
37 Tu vero repulisti, & de-
spexisti: distulisti Chri-
stum tuum.
38 Euertisti testamentum serui tui: profanasti in terra san-
ctuarium eius.
39 Destruxisti omnes sepes eius: posuisti firmamentum eius
formidinem.
40 Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factum est
opprobrium vicinis suis.
41 Exaltasti dexteram deprimentium eum: læ-
tificasti omnes inimicos eius.
42 Auertisti adiutorium gladij eius: & non
es auxiliatus ei in bello.
43 Destruxisti eum ab emundatione: & sedem
eius in terram collisisti.
44 Minorasti dies temporis eius: perfudisti
eum confusione.
45 Vsquequo, Domine, auertis in finem: exardescat,
sicut ignis, ira tua.

47 Memo-

46 *Quàm breuis, & nihili quam sit mihi vita reuoluo*
Sancte Parens. Iubar incassum spirabile cæli,
47 *Indulges hominum generi? Quis limina tanget*
Lucis, & extinctos lethi non hauriet ignes:
Debita frigentis nec soluet legibus Orci?
48 *Heu bonitas, heu sancta fides? quo pulsa recessit*
Gratia, quo toties pactis iurata Dauidi?
49 *Respice dedecorent, Genitor, quæ opprobria seruos*
Alme tuos. En fundo sinum, viden' impia circum
50 *Gens quantum potuit verbis audere malignis.*
Illa tibi nobisq; ferox, ait, irrita Christo
51 *Ex vestro sperate: Deus tamen omnia contra*
Annuet, inferos venient promissa nepotes.

46 Memorare, quę mea sub-
stantia: nũquid enim va-
ne constituisti omnes fi-
lios hominum?
47 Quis est homo, qui vi-
uet, & non videbit mor-
tem: eruet animam suam
de manu inferi?
48 Vbi sunt misericordiæ
tuæ antiquæ, Domine: si-
cut iurasti Dauid in veri-
tate tua.
49 Memor esto, Domine,
opprobrijs seruorum tuorum: (quod continui in sinu meo) multarum gen-
tium. 50 Quod exprobrauerunt inimici tui, Domine: quod exprobraue-
runt commutationem Christi tui. 51 Benedictus Dominus in æternum:
fiat, fiat.

LIBRI TERTII FINIS.





LVDOVICI CRVCII OLYSIPPONENSIS SOCIETATIS IESV.

IN LIBRVM PSALMORVM INTERPRETATIONIS POETICAE LATINE, Liber Quartus.

PSALMVS LXXXIX. Hebr. X C.



1 *Ex qui gubernas omnia mollibus*
Aeterne frenis: Tu dom' aenea
Nobis fuisti semper orsis
A teneris orientis aeui.
2 *Mõtes priusquã culmina tollerẽt,*
Tellus vireret: se globus aureis
Versaret astris, sempiternum
Solus eras, es, erisq; numen.
3 *Angusta nobis tempora digeris*
Sed luctuosis foeta laboribus:
Dicesq; tandem gens Adami
In cinerem resoluta vade.
4 *Aeuum per annos mille quod effluit,*
Hesterna tanquam lux tibi transuolat,
5 *Et noctis horae quas sopore*
Excubitor breuiore dormit.
6 *Nos herba tanquam rosida viuimus,*
Sub mane primò quae viret eruta:
Meridianae languet, aret
Occiduae statione flammae.

7 *Acce-*

PSALMVS LXXXIX. Hebr. XC.

1 DOmine, refugium factus es nobis: à generatione in generationem.
2 Priusquã montes fierent, aut formaretur terra, & orbis: à sęculo, & vsque in saeculum tu es Deus.
3 Ne auertas hominem in humilitatẽ: & dixisti; Conuertimini filij hominum.
4 Quoniam mille anni ante oculos tuos: tanquã dies externa, quae praeterijt.
5 Et custodia in nocte: quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt.
6 Mane, sicut herba transeat, mane floreat, & transeat: vespere decidat, induret, & arescat.

7 Quia

7 *Accedit iræ vis tua feruidæ,*
Qua vita presso diffugit halitu:
Furorq; pennas inquietus
Terrifico iaculatur arcu.
8 *Vindex tueris crimina perspicax,*
Occulta nobis respicis acrior
Quam res micantem per calorem
Luciferi reteguntur astri.
9 *Dum perpetratis æqua reuoluimus*
Soluendo factis præmia noxij;
Sua fugacem sponte vitam
Mole tuæ celeramus iræ.
10 *Nos fila molles sicut aranei,*
Denos in annos tendere septies
Speremus, ante mors obunca
Falce rapax nisi soluit orsa.
11 *Denos in annos firmior octies*
Procurrat ætas; hic labor hic dolor
12 *Maior, volandum quippe tandem*
Ceu volucres habeamus alas.
13 *Quis deinde nouit crimina puniet*
Vt iusta flagris ira sonantibus,
Pro more culparum seueras
Iustitia repetente pœnas?
14 *Ergo dierum nos numerum breuem*
Da mente rector voluere prouida.
Vita fugaci dum manemus
Vt liceat sapienter vti.
15 *Nos ore tandem mitius adspice,*
Nostrisq; flecti te precibus sine:
Tum recreabis verberatos
Aetherea bonitate seruos.
16 *Nos alma primo mane benignitas*
Suis abundè fructibus expleat:
Vt gaudiorum dona læti
In reliquum capiamus æuum.
17 *Quantum doloris pectora flebilis*
Hausere, tantum lætitiæ ferant:
Metire tempus gestiendi,
Præteriti spatio laboris.

18 *O alme*

7 Quia defecimus in ira tua: & in furore tuo turbati sumus.

8 Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

9 Quoniã omnes dies nostri defecerunt: & in ira tua defecimus.

10 Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.

11 Si autem in potentatibus octoginta anni: & amplius eorum labor, & dolor.

12 Quoniam superuenit mansuetudo: & corripiemur.

13 Quis nouit potestatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

14 Dexteram tuam sic notam fac: & eruditos corde in sapientia.

15 Conuertere, Domine, vsquequo: & deprecabilis esto super seruos tuos.

16 Repleti sum' mane misericordia tua: & exultauimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.

17 Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.

18 Respi-

18 *O alme seruos respice supplices,*
Et facta priscis edita seculis:
In posterorum liberatam
Perueniat tua fama gentem.
19 *Benignitatis nos iubar aureum*
Ridentis afflet: quæ manus egerit
Olim tuorum, prosperare
Fine velis Genitor secundo.

18 Respice in seruos tuos, & in opera tua: & dirige filios eorum.
19 Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarũ dirige super nos: & opus manuum nosttarum dirige.

PSAL. XC. Hebr. XCI.

1 *QVisquis æterni penetralis vmbra,*
Quam Deus circum posuit, latebit:
Ne reformidet licet intonatis
Fluctibus crebræ resonent procellæ.
2 *Dicet e sacris etenim latebris*
Spes mihi, & certum Pater est Asylum,
Quisquis es tali pietate, fide.
3 *Namq; venantum laqueis teneri,*
Pestis aut tangi probibebit arcu.
4 *Te suas custos teget inter alas,*
Vnde sperabis meliora tutus.
5 *Veritas parmæ tibi fulgurantem*
Alma prætendet radiantis Orbem,
Ne metum cacæ vereare noctis:
6 *Ne die missas temerè sagittas:*
Ne luem pennis temerè vagantem:
Luce nec pestem mediâ furentem.
7 *Mille adhærebunt lateri sinistro*
Pestis, aut belli iaculis perempti:
Millia in dextro cecidisse dena;
8 *Te Dei cernes ope liberatum.*
Interim felix meditare quali
Exitu praui studijs ferantur.
9 *Ergo dic nostræ columen salutis*
Cælitum rector bone quam remotam
A procellosa rabie & tumultu
Te tuis iuuit posuisse sedem.

10 Viue

PSALMVS XC. Hebr. XCI.

1 QVi habitat in adiutorio altissimi:in protectione Dei cæli commorabitur.
2 Dicet Domino;Susceptor meus es tu, & refugium meum:Deus meus sperabo in eum.
3 Quoniam ipse liberauit me de laqueo venãtium: & à verbo aspero.
4 Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.
5 Scuto circundabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.
6 A sagitta volante in die,à negotio perambulãte in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.
7 Cadent à latere tuo mille,& decem millia à dextris tuis:ad te autem non appropinquabit.
8 Verumtamen oculis tuis considerabis: & retribu-
tionem peccatorum videbis.
9 Quoniam tu es,Domine, spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

10 Non

10 *Viue diuina bonitate felix,*
Nec malæ casus patiere fortis
Nec tuas hostis populabit ædes.
11 *Namq; mandauit fidei Angelorum,*
Te, tuos gressus iter, & labores.
12 *Ac ferent vectum manibus per auras*
Ne pedes lædant præacuta saxa.
13 *Aspidum squamas super ambulabis,*
Reguli visus hebetabis acres,
Terga Massyli subiges leonis,
Et super vastos equitabis angues.
14 *Sic enim rerum sator est locutus:*
Spes suas in me quoniam locauit,
Cultor æternæ studiosus arcis:
Corruat victus dabo ne periclis.
Et meum caste quia nomen ornat
Notus in cælum volitabit Heros.
15 *Audiam quando prece me rogarit:*
Eruam quando labor imminebit:
Euebam claris titulis honorum:
16 *Conferam laudem senioris æui,*
Et meæ tandem speciosa cernet
Ora salutis.

10 Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
11 Quoniam Angelis suis mādauit de te: vt custodiant te in omībus vijs tuis.
12 In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
13 Super aspidem, & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem.
14 Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.
15 Clamabit ad me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.
16 Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

PSAL. XCI. Hebr. XCII.

1 *Laudibus æthereum fas est mihi dicere regem*
Citharisq; nomen tollere augustum meis.
2 *Mane sub aurora dicam miserescere pronum:*
Sub nocte amicum veritatis vnicum.
3 *Illi nota decem feriam discrimina vocum:*
Animabo ventis & canora nablia.
4 *Argumenta mei, tua facta ingentia, cantus*
Quibus huius animæ spiritum mulces, erunt.
5 *O monumenta tuæ quàm sunt insignia dextræ:*
Consilia tecti quàm profunda pectoris?
6 *Non hæc insipiens animo penetrabit acuto:*
Non hæc alumnus accipit vecordiæ.

7 Non

PSALMVS XCI. Hebr. XCII.

1 Bonū est confiteri, Domino: & psallere nomini tuo, altissime.
2 Ad annunciandum mane misericordiam tuam: & veritatē tuam per noctē.
3 In decachordo, psalterio: cum cantico, in cithara.
4 Quia delectasti me, Domine, in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo. 5 Quam magnificata sunt opera tua, Domine: nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. 6 Vir insipiens non cognoscet: & stultus non intelliget hæc.

 7 Cum

7 *Non videt halantes frondere vt graminis herbas,*
Nunc irrigatas nunc reuulsas, Impios
8 *Tu namq; exarimos æterna in secula mittes,*
Felicitate viuus immutabili.
9 *Ecce tui pereunt subitis incursibus hostes:*
Et dissipantur qui scelesta perpetrant.
10 *At mihi sic valido solidabis robore neruos,*
Vt Monoccroti robur in cornu venit.
Et senij vires fuso instaurabis oliui
Fragrantioris debiles liquamine.
11 *Aut hostes ego luminibus cecidisse videbo,*
Aut interisse me perosos, audiam.
12 *Sicut palma virens Iustus noua germina fundet:*
Libaniq; Cedrus fluctuantis ardua.
13 *Et quicunq; Dei media plantabitur æde,*
Diuina læto flore pinget atria.
14 *Non ille ob vitium trepidæ glaciale senectæ.*
Minus vigebit, quàm iuuenta floruit.
Scilicet vt plenus succo vegetabilis æui
Dei æquitatem gentibus denunciet.
15 *Est bonus ille suis: mihi quàm tutissima rupes:*
Pijs secundus, surgit asper impijs.

PSAL. XCII. Hebr. XCIII.

1 *QVi pollente manu sidera concutit*
Iam regni Dominus frena tenet sui:
Regalis trabeam nominis induit,
Accinctos humeros viribus extulit.
2 *Qui terram posuit vitrea pendulam*
Fundamenta super, quæ variabiles
Nec tentare vices: omnibus omnia
Nec seclis poterunt vellere secula.
3 *Sedes imperij sed tua maximi.*
Est æterna parens, ante volubile
Quam cælum radios funderet igneos
Iam tunc numen eras sufficiens tibi.
4 *Voluunt*

7 Cum exorti fuerint peccatores, sicut fœnum: & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.
8 Vt intereant in sæculum sæculi: tu autem Altissimus in æternum, Domine.
9 Quoniã ecce inimici tui, Domiue, quoniam ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.
10 Et exaltabitur, sicut vnicornis cornu meum:& senectus mea in misericordia vberi.
11 Et despexit oculus meus inimicos meos: & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.
12 Iustus, vt palma, florebit: sicut Cedrus Libani multiplicabitur.
13 Plantati in domo Domini: in atrijs domus Dei nostri florebunt.
14 Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi:& bene patientes erunt, vt annuncient.
15 Quoniam rectus Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo.

PSALMVS XCII. Hebr. XCIII.

1 DOminus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. 2 Etenim firmauit orbem terrę: qui non commouebitur. 3 Parata sedes tua ex tunc: à sæculo tu es.

4 Eleua-

4 *Voluunt se rapido flumina murmure,*
Indignata gemunt murmura fluminum;
5 *Sæuis alta minis æquora fluctuant*
Raucis terrificant æthera vocibus.
6 *Almus sistit aquas at Pater amnium,*
Torrentes inhibet ne graue murmurent:
Ponant sæua minas æquora præcipit,
Et sternit placido muta silentio.
7 *O rex cælituum condita laminis*
Oris verba tui stant adamantinis
Sacræ namq; domus in penetralibus,
Aeternum veniet degere sanctitas.

4 Eleuauerũt flumina, Domine: eleuauerunt flumina vocem suam.
5 Eleuauerunt flumina fluctus suos: à vocibus aquarum multarum.
6 Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus.
7 Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudine dierum.

PSAL. XCIII. Hebr. XCIV.

1 *QVi facies scelerum pœnis vltricibus arces*
2 *Pater alme ô exere vultum.*
Qui trutina pendis terras ô arbiter æqua,
Sua præmia redde superbis.
3 *Quo leuis impietas impunè vagabitur vsq;,*
Et turba nefaria plaudet?
4 *Dedita gens sceleri cur vano turgida fastu,*
Facta atq; infecta loquetur.
5 *Illa tuum populum calcat, tua prædia latè*
Ferro populatur & igne,
6 *Non illam viduæ lacrymis, non aduena placat*
Vnaq; occiditur Orbus.
7 *Hæc illi, aspicient non lumina Numinis, aiunt,*
Cùm nihil mortalia curet.
8 *O gens cæca vide, nebulis quid inanibus vmbrat*
Insania barbara mentes?
9 *Aures bina dedit qui circum tempora binas*
Non audiet impia dicta?
Orbibus inclusit qui binis lumina bina,
Non facta indigna videbit?
10 *Qui docet errantes populos, non arguet idem*
Hominumq; piacula plectet?
11 *Nouit*

PSALMVS XCIII. Hebr. XCIV.

1 DEus vltionum Dominus: Deus vltionum libere egit.
2 Exaltare, qui iudicas terram: redde retributionẽ superbis.
3 Vsquequo peccatores Domine: vsquequo peccatores gloriabuntur.
4 Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur iniustitiam?
5 Populum tuum, Domine, humiliauerunt: & hæreditatem tuam vexauerunt.
6 Viduam, & aduenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.
7 Et dixerunt; Non videbit Dominus: nec intelliget Deus Iacob. 8 Intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite. 9 Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? 10 Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam?

11 Dominus

11 *Nouit inaccessam quæ mentem cura fatiget,*
Quæ pectora torqueat aura.
12 *Felicem quem sacra doces, cui tradere cæli*
Almus dignabere leges.
13 *Illum blanda quies duris in rebus habebit,*
Dum prauo aperitur hiatus.
14 *Nec Dominus populum, sua nec bona deseret hæres*
Inimicæ in pabula flammæ.
15 *Tempus erit, quo Iustitiæ sociabitur æquum*
Ad quorum lumina causas.
Aspicient, recto qui pectore iusta ministrant.
16 *Mecum quis perdere sontes*
Audet, & in prauos sumptis quis iustior armis
Sanctissima bella ciebit?
17 *At nisi me Dominus iuuisset ab æthere, forsan*
Tumulo nunc conditus essem.
18 *Nam quoties dixi vestigia lubrica nutant.*
Tua me clementia fulcit.
19 *Alme Parens animum tam solabare iacentem,*
Quàm cura dolorq; premebant.
20 *An tibi dicebam solio commune tyranni*
Aliquid fingentis adhæret?
Respectu legum se nunciat esse minacem,
Populisq; afferre laborem.
21 *Attamen armato retinere satellite iustum,*
Pergitq; addicere letho
22 *Innocuum. Secura meæ bonus anchora vitæ*
Deus & fuit ænea rupes.
23 *In caput authorum vertet qui ignobile fraudes,*
Et qualia ferre dederunt.
Innocuis, eadem noster Deus omnia coget
Damnatos tollere sontes.

11 Dominus scit cogitationes hominum: quoniam vanæ sunt.
12 Beatus homo, quem tu erudieris, Domine: & de lege tua docueris eum.
13 Vt mitiges ei à diebus malis: donec fodiatur peccatori fouea.
14 Quia non repellet Dominus plebem suam: & hæreditatem suam non derelinquet.
15 Quoadusq; iustitia conuertatur in iudicium: & qui iuxta illã omnes, qui recto sunt corde.
16 Quis consurget mihi aduersus malignantes? aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?
17 Nisi, quia Dominus adiuuit me: paulominus habitasset in inferno anima mea.
18 Si dicebam; Motus est pes meus: misericordia tua, Domine, adiuuabat me.
19 Secundum multitudinẽ dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificauerunt animã meam.

20 Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis: qui fingis laborem in præcepto. 21 Captabunt in animam iusti: & sanguinem innocentem condemnabunt. 22 Et factus est mihi Dominus in refugium: & Deus meus in adiutorium spei meæ. 23 Et reddet illis iniquitatem ipsorum; & in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.

PSAL. XCIV. Hebr. XCV.

1 *HVc chorum ciues date, gratulemur*
Inuicem læti, Dominum canamus
Cuius est nobis bonitas amicæ
Ara salutis.
2 *Voce laudantes adeamus illum,*
Tinnulo coram resonemus ære:
Eia vocales feriamus acri
Pectine conchas.
3 *Maximus regum Dominus potentum,*
Omnium solus Deus est Deorum:
4 *Qui solum firmat, stabiliq; ponit*
Vertice montes.
5 *Ille quod fecit regit æquor vnus,*
Obrutam lymphis prius ille terram
Iussit arentem super enatare
Aequoris vndas.
6 *Supplices ergo manibus genuq;*
Ite, adoremus, timidi cadamus
Ante diuinum faciem rigante
Imbre parentem.
7 *Noster est idem Dominus Deusq;,*
Diues illius sata grex tenemus:
8 *Cuius auditam modò ne rebelles*
Spernite vocem.
En ait, ne gens fera me lacesse,
9 *Sicut ad saltus Arabum, parentes:*
Qui parum fidis mea prouocarunt
Robora dictis.
Posset experti mea dextra quantum,
Vt fidem magnis habuere factis,
Mox ad antiquæ rediere lapsi
Iurgia culpæ.
10 *Hanc quater denos sobolem per annos,*
Lite certarem veluti, morabar
Semper at dixi malè sana mente
Capta laborat.
11 *Ergo iuraui stimulatus ira*
Deuios calles generi secuto;
Arua promissæ minimè videbis
Accola terræ.

PSALMVS XCIV. Hebr. XCV.

1 VEnite, exultem' Domino: iubilemus Deo salutari nostro.
2 Præoccupemus faciẽ eius in confessione: & in psalmis iubilemus ei.
3 Quoniam Deus magnus Dominus: & rex magnus super omnes deos.
4 Quia in manu eius sunt omnes fines terræ: & altitudines montiũ ipsius sũt.
5 Quoniã ipsius est mare, & ipse fecit illud: & siccam manus eius formauerũt.
6 Venite adoremus, & procidamus: & ploremus ante Dominũ, qui fecit nos.
7 Quia ipse est Dominus Deus noster: & nos populus pascuę eius, & oues manus eius.
8 Hodie si vocem eius audieritis: nolite obdurare corda vestra.
9 Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto: vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt me, & viderunt opera mea.
10 Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi: semper hi errant corde.
11 Et isti non cognouerunt vias meas; vt iuraui in ira mea: si introibunt in requiem meam.

PSAL. XCV. Hebr. XCVI.

1 FErte numen vsitatis
Ante nunquam canticis.
Terra patrem dic sonoro
Vniuersa carmine.
2 Eia numen, atque nomen:
Personate numinis.
Nunciate semper eius
Sospites clementiam.
3 Prædicata quam potente
Sit per orbem dextera.
Eius omnibus referte
Gentibus miracula.
4 Ille magnus imperator
Laudate maior omnium:
Dijsq; cæteris tremenda
Sanctitate maximus.
5 Gentium Dei Deæq;
Sunt inanes fabulæ.
Noster at Deus micantem
Fabricauit æthera:
6 Ante quem laus & decora
Pulchritudo visitur.
Eius incolunt penates
Sanctitas & gloria.
7 Vniuersæ ferte gentes
Illi honorem principi.
Nomen eius prædicando
Gloriosum reddite.
8 Sacrosanctis ferte læti
Atrijs donaria.
Supplicate procidentes
Eius in sacrario.
9 Vniuersa terra sanctum
Nomen eius horreat.
Eia personate, regnat
Ille cunctis gentibus.
10 Qui globum terræ capacem
Fixit immutabilem.
Iusq; dicit æquitate
Sanctiore præditum.

11 Terra,

PSALMVS XCV.
Hebr. XCVI.

1 CAntate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.
2 Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annunciate de die in diem salutare eius.
3 Annunciate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.
4 Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.
5 Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.
6 Confessio, & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione eius.
7 Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.
8 Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.
9 Cõmoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.
10 Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.

11 Læten-

11 *Terra, cælum, pontus, vdo*
Quæ vagantur æquore.
Gaudeant, & arua lætis
Se coronent frugibus:
12 *Efferant sylua comantem*
Saltuosæ verticem.
Ante regem præpotentem
Qui venit ius dicere
13 *Aequitate iustus orbem*
Temperabit integra.
Gentiumq; facta pendet
Veritatis lancibus.

11 Lætentur cæli,& exultet terra, commoueatur mare,& plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt.
12 Tunc exultabunt omnia ligna filuarũ à facie Domini, quia venit: quoniã venit iudicare terram.
13 Iudicabit orbem terræ in æquitate:& populus in veritate sua.

PSALMVS XCVI.
Hebr. XCVII.

1 *IAm frena regni conditor accipit,*
Lætentur altis fluctibus insulæ
Diuerberatæ, quæ refusi
Oceani cohibentur vnda.
2 *Nigrantis illum nubis opacitas*
Vmbraq; celant: blandior Aequitas
Illi tribunal, cum sorore
Iustitia grauiore ponunt.
3 *Vis antecedit fulminis ignea*
4 *Vrentis hostes: Intonat horrido*
Fragore cælum, terra crebris
Fulminibus quatefacta nutat.
5 *Fluxere montes numine territi,*
Vt cera flammis tabida liquitur:
Ipsoq; ab aspectu Tonantis
Diriguit tremefactus orbis.
6 *Stellata cæli fabrica nunciat*
Ius quo gubernat; gloria numinis
It nota ab Auroræ cubili
Solis ad hospitium cadentis.
7 *Vultum probrosus deijciat pudor*
Cæsa in figuras saxa colentium:
Iactantiumq; barbarorum
Exanimæ simulacra rupis.
8 *Errore facti Dij nimis impio*
Vnum hunc adorent, aspiciet Sion,

PSALMVS XCVI.
Hebr. XCVII.

1 DOminus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.
2 Nubes, & caligo in circuitu eius: iustitia, & iudiciũ correctio sedis eius.
3 Ignis ante ipsum præcedet:& inflammabit in circuitu inimicos eius.
4 Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota est terra.
5 Montes,sicut cera, fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.
6 Annunciauerunt cæli iustitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius.
7 Confundãtur omnes, qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulachris suis.
8 Adorate eum omnes Angeli eius: audiuit,& læta-ta est Sion.

9 *Lætata cum Iudæ puellis*
Sacrilegos obiisse ritus.
10 *Iubente rerum præside Machinam*
Terræ iacentem qui premit altior:
Ostendit almum qui Deorum
Spectra super ruitura, numen.
11 *Quicunq; puri diligitis Deum,*
Odisse fraudes cura sit improbas:
Vitam suorum nam tuetur
E manibus rapiens Tyranni.
12 *Ex ore iusti discutit aureo*
Splendore nubes: pectora sordida
Ignara culpæ, spe, fauore,
Lætitia recreare nouit.
13 *Gaudete iusti maxima principis*
O cura nostri: tollite laudibus
Diuinitatem, sanctitatem
Carminibus memores sonate.

9 Et exultauerunt filiæ Iu-
dæ: propter iudicia tua,
Domine.
10 Quoniam tu Dominus
altissimus super omnem
terram: nimis exaltatus
es super omnes deos.
11 Qui diligitis Dominum,
odite malum: custodit
Dominus animas San-
ctorum suorum, de manu
peccatoris liberabit eos.
12 Lux orta est iusto: & re-
ctis corde lætitia.
13 Lætamini iusti in Domi-
no: & confitemini memo-
riæ sanctificationis eius.

PSAL. XCVII. Hebr. XCVIII

1 *Carminis noui sonore*
Eia Patrem dicite.
2 *Molientem mira dextræ*
Præpotentis robore.
3 *Se salutis esse fontem*
Sospitando retulit.
Gentibus monstrauit acrem
Vindicando Iudicem.
4 *Conscius benignitatis*
Qui fidem nepotibus
Israëlis obligatam
Soluit integerrimè.
5 *Vidit orbis quam salutem*
Liberator attulit.
6 *Terra iubila canendo*
Æris arte concaui.
Incolæ patentis Orbis
Gestientes psallite.
7 *Barbitum ferite, vocis*
Flexiones addite.
Tibias inflate dulces,
Cum sonora buccina.

8 *Rege*

PSALMVS XCVII. *Hebr. XCVIII.*

1 Cantate Domino can-
ticum nouũ: quia mi-
rabilia fecit.
2 Saluauit sibi dextera eius:
& brachium sanctũ eius.
3 Notum fecit Dominus
salutare suum: in conspe-
ctu gentium reuelauit iu-
stitiam suam.
4 Recordatus est miseri-
cordiæ suæ: & veritatis
suæ domui Israel.
5 Viderunt omnes termini
terræ: salutare Dei nostri.
6 Iubilate Deo omnis ter-
ra: cantate, & exultate,
& psallite.
7 Psallite Domino in cithara.
in cithara, & voce psal-
mi: in tubis ductilibus, &
voce tubæ corneæ.

8 Iubila-

8 *Rege coram iubilate*
Cuncta. Pontus vitreas.
Crispet vndas, saltet vndis
Quicquid vsquam permeat.
Terra ludat & capaci
Quicquid aluo parturit.
9 *Concitata lympha plaudat,*
Amnium perennium.
Perstrepant decora sylu s
Montium cacumina.
Orbis author namq; sancte
Dicat vt ius, aduenit.
10 *Assidebunt iudicanti*
Veritas, & Aequitas.

8 Iubilate in conspectu regis Domini; moueatur mare, & plenitudo eius: orbis terrarum,& qui habitant in eo.
9 Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram.
10 Iudicabit orbem terrarum in iustitia: & populus in æquitate.

PSALMVS XCVIII.
Hebr. I C.

1 *IAm Dominus regnat, pennis quem flammeus ales*
Tenet sedentem lene remigantibus.
Immanes trepida populi formidine turbent,
Et terra fractis palpitet compagibus.
2 *Magnum numen habet non solùm teste Sione*
Sed orbe, vectus axe quem sol aspicit.
3 *Ergo tuum gentes cantent, venerabile nomen*
Quando æquitate temperas potentiam.
4 *Tu bona dispensas, æquissima iura ministras,*
Litesq; iudex inter Isacidas regis.
5 *Laudibus eia Deum memorate ingentibus omnes*
Et scamna colite (sanctus est enim) pedum.
6 *Sic Moses, & Aron fecit cum fratre sacerdos*
Samuelq; Dominum primus inuocantium:
7 *Sancta petiuerunt dubijs oracula rebus,*
Dominusq; nubis è columna reddidit.
8 *Seruauere tamen percussi fœdera pacti,*
Et iura sanctis explicata legibus.

9 Hinc,

PSALMVS XCVIII.
Hebr. I C.

1 DOminus regnauit, irascantur populi: qui sedet super Cherubim, moueatur terra.
2 Domin' in Sion magnus: & excelsus super omnes populos.
3 Confiteantur nomini tuo magno,quoniam terribile,& sanctum est:& honor regis iudicium diligit.
4 Tu parasti directiones: iudicium, & iustitiam in Iacob tu fecisti.
5 Exaltate Dominũ Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est.
6 Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius: & Samuel inter eos,qui inuocant nomen eius.
7 Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos. 8 Custodiebant testimonia eius: & præceptum, quod dedit illis.

9 *Hinc, Pater, audisti sæpe exorabilis illos*
Cùm vindicabas plebis vltor crimina.
10 *Laudibus eia Deum memorate ingentibus, illum*
Fontem perennem sanctitatis tollite.
Aspicite hunc mõtem sibi quem Deus ipse dicauit,
Ille ille numen scilicet sanctissimum.

PSALMVS IC. Hebr. C.

1 *IVbilate qui parentis*
Arua terræ finditis.
Numini seruite lætis
Imperanti mentibus.
2 *Vocibus lætum frementes,*
Templa sancta visite.
3 *Qui dat esse rebus, illum*
Numen esse dicite.
Ipse fecit nos, nec ipsi
Nosmet ipsos fecimus.
4 *Grex sumus quem pastor aruis*
Ille nutrit herbidis.
Illius fores adite
Occinentes carmina.
Ferte laudes, ferte cantus
Sacrosancta ad atria,
5 *Numen eius personate*
Cuius indulgentia.
Contineri nescit vllis
Seculorum terminis.
Veritas at semper vna
Vultu eodem concolor,
Ex auorum tendit annis
Ad nepotum tempora.

PSALMVS C. Hebr. CI.

1 *TE facilem Genitor miseris ignoscere dicam,*
Sæua grauem tumidis at dare iura reis.
2 *Voce vtrunq; canam, factis imitabor vtrunq;,*
Si tua per castas me regit aura vias.
3 *Dum spiro incedam malefictæ nescius artis,*
Fraus erit in tectis hospita nulla meis.

4 *Non*

9 Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.
10 Exaltate Dominũ Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster.

PSALM. IC. Hebr. C.

1 IVbilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia.
2 Introite in cõspectu eius: in exultatione.
3 Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos.
4 Populus eius, & oues pascuæ eius; introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis: confitemini illi.
5 Laudate nomẽ eius, quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius: & vsque in generationem, & generationem veritas eius.

PSALM. C. Hebr. CI.

1 MIsericordiam, & iudicium: cantabo tibi, Domine.
2 Psallam, & intelligam in via immaculata: quando venies ad me.
3 Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus meæ.

4 Non

4 *Non ego consilijs pandam fallacibus aurem,*
Qui fauet iniustis litibus hostis erit.
5 *Me fugiant, pectus quicunq; in deuia torquent*
Crimina detestor turpia quisquis amat.
6 *Clam socijs rabido qui detrahit ore, lacessam*
Donec inhumanus frigida busta petat.
7 *Elatos oculi fastus, animiq; tumores*
Nec socios mensæ nec laris esse feram.
8 *Amplectar facilis quemcunq; videre tuebor*
Incolumem niueâ simplicitate fidem.
Hic mecum sedeat, puris hic moribus aulam
Incolat, hic rerum ducere frena iuuet.
9 *Mentis homo tumidæ nunquam mea limina tanget,*
Me non aspiciet qui dare verba solet.
10 *Cùm primum radijs stellas Aurora fugarit;*
Impia facta meum tollere munus erit.
Nequis in vrbe Dei viuat sceleratus auiti:
Fas est à sanctis mœnia sancta coli.

4 Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes præuaricationes odiui.
5 Non adhęsit mihi cor prauum: declinantem à me malignum non cognoscebam.
6 Detrahentē secreto proximo suo: hunc persequebar.
7 Superbo oculo, & insatiabili corde: cum hoc non edebam.
8 Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeāt mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.
9 Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiā: qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorū.
10 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ:, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

PSAL. CI. Hebr. CII.

1 *SAncte Parens audi: Iubeat meus æthera clamor,*
2 *Nec faciem timidis iratam auerte querelis.*
Me super aduersæ cùm detonat ira procellæ,
Leniter inclina miseratus questibus aurem.
3 *O quacunq; die supplex te in vota vocarim*
4 *Pone moras. En alme: vides quàm deficit ætas:*
Quàm fugiunt celeres nebulæ ceu flatibus anni,
Ossaq; sopitas referunt excucta fauillas:
5 *Dum lacrymis humecto sinus, potusq; cibiq;*
Improuisa diu subiere obliuia mentem
Vnde rigor perijt, cor tonsi exaruit instar
Graminis, æstiuo quod discidit aëre messor.
6 *Dum gemo, dū querulis turbatus vocibus hisco*
Sicca renudatis penitus cutis ossibus hæsit

7 Qualis

PSAL. CI. Hebr. CII.

1 DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.
2 Non auertas faciē tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

3 In quacunque die innocauero te: velociter exaudi me. 4 Quia defecerunt, sicut fumus, dies mei: & ossa mea, sicut cremium, aruerunt. 5 Percussus sum, vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum. 6 A voce gemitus mei: adhæsit os meum carni meæ.

7 Similis

7 *Qualis inaccessis mæret Pelecanus ad arces*
Quiq; solet voces in fletum ducere bubo:
Talis ego lacrymas, longa aut suspiria fundo.
8 *Et volucri similis vigilo quæ culmine tecti*
Per noctem queritur desertum à coniuge nidum.
9 *Interea dum solis obit rota flammea mundum,*
Insultat misero, raptis coit æmulus armis
Iuratumq; minax ciet in mea funera bellum.
10 *Tunc epulas cinerem duxi, tum pocula fletu*
11 *Miscuit atra dolor. Nec me minus ira, tuiq;*
Oris agit grauitas, namq; erexisse videris
Vt casu ruerem maiore elapsus ab alto.
12 *Non aliter mea vita fugit, quàm vesper Olympo*
Præcipitat, seræq; cadunt à montibus vmbræ,
Et macie tenuor ceu torrida solibus herba.
13 *At pater æternum duras, nec secula famam*
Delebunt oblita tuam, fati inscius æuo
A proauûm venies in tempora sera nepotum.
14 *Surge Sionææ tandem misereberis arcis*
Et iam tempus adest, quo te miserescere fas est.
15 *En recidiua tui lapides in mœnia serui*
Depereunt, & adhuc lacrymant disiecta videndo.
16 *Pergama restitues, aut tunc ferus accola nomen*
Diuinum metuet, maiestatemq; tremiscent
Qui regna imperijs frenant inimica tyranni.
17 *Ergo suam Genitor placabilis eriget vrbem*
Aeternum ostendet cum maiestatis honorem,
18 *Tum faciè vertet blanda se in vota piorum:*
Luctisonas inopum nec respuet ore querelas.
19 *Hæc tabulis habeant fidis inarata minores,*
Proferet orta Deo soboles inde altera laudes.
20 *Quippe bonus rutilo despexit ab æthere terram*
21 *Audiat vt gemitus quos vincti à carcere fundũt,*
Damnatosq; neci rumpens ergastula, soluat.

22 *Instau*

7 Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum, sicut nicticorax in domicilio.
8 Vigilaui: & factus sum, sicut passer solitarius in tecto.
9 Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduersum me iurabant.
10 Quia cinerem, tamquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.
11 A facie iræ, & indignationis tuæ: quia eleuans allisisti me.
12 Dies mei, sicut vmbra, declinauerunt: & ego, sicut fœnum arui.
13 Tu autem, Domine, in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem, & generationem.
14 Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.
15 Quoniã placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.
16 Et timebunt gentes nomen tuum, Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam. 17 Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.
18 Respexit in oratione humilium: & non spreuit preces eorum. 19 Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum. 20 Quia prospexit de excelso sancto suo: Dñs de cęlo in terrã aspexit:
21 Vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum

22 Vt

22 *Instaurata Sion Solimæq; mœnia nomen*
23 *Tunc Domini, laudesq; canent: Tunc arua domosq;*
Externi linquent populi, tunc regna tyranni
Vt promissa ferant almo donaria templo.
24 *In medio quamuis vitæ mihi robora cursu*
Frangat, & angustis includat tempora metis
25 *Alme rogabo tamen cœptis ne deffice rebus,*
Ne medio in cursu lege fila nouissima vitæ.
Nos etiam si sera ruant mortalia condent
Fata solo, tu semper ages immunia lethi
Secula, qui rerum partus Deus ante fuisti.
26 *Fundasti ô opifex stabiles ab origine terras*
27 *Et cæli radiantis opus: chaos occupet astra,*
Et latam dissoluat humum, tu funeris expers
28 *Idem semper eris cùm cætera deterit ætas;*
Ac attrita nouis homines vt pallia, mutat.
29 *Sed tua gens reflui tecum non legibus æui*
Iruta durabit, quæq; exorietur ab illa
Secula posteritas duce te felicia viuet.

22 Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Ierusalem.
23 In conueniendo populos in vnum: & reges, vt seruiant Domino.
24 Respondit ei in via virtutis suę: paucitatem dierum meorũ nuncia mihi.
25 Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generationem, & generationem anni tui.
26 Initio tu, Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarũ sunt cæli.
27 Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes, sicut vestimentum, veterascent.
28 Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.
29 Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculũ dirigetur.

PSAL. CII. Hebr. CIII.

1 *Mens cane grata Deum, præcordia dicite nomen*
Hilarata magni regis augustissimum.
2 *Mens grates age læta, dedit quæ maxima velo*
Obliuiosi conde ne silentij.
3 *Ille tibi facilis veniæ, scelus omne remittit,*
Omnes amicus sanat ægritudines.
4 *Mortis ab imperio te vindicat ille superbo,*
Suæq; donis implet indulgentiæ.
5 *Vota super cumulat quæ voce animoq; reposcis,*
Aquilæ iuuentam seruat vt nouæ tuam.
6 *Iustitiæ rectiq; tenax quam liberat vltro*
Calumniarum præpeditos retibus.

7 Iura

PSALMVS CII. Hebr. CIII.

1 Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.
2 Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius. 3 Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. 4 Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia, & miserationibus. 5 Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua. 6 Faciens misericordiam Dominus: & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

7 Iura bonus docuit fidum cæleſtia Moſem
Sua Iſraëlis ſacra priſci liberos.
8 Ad veniam largus Deus eſt, mortalia facta
Ad vindicandum parcus iracundiæ.
9 Non ſemper tumidas vindictæ immittit habenas,
Nutu ve ſemper terret implacabili.
10 Non ſcelerum vindex pœnas æquauit aceruo,
Magis pepercit ille quam peccauimus.
11 Altior it bonitas Domini miſerata iacentes,
Quam terra cælo diſtat: & piacula
12 Tam procul à nobis iram metuentibus egit,
A ſolis ortu quam recedit occidens.
13 Quem ſoboli nudat pater exoratus amorem,
Sua hoc amicat reſtitutos gratia,
14 Qui cælum violaſſe timent: non immemor eſſe
Coacta molli vaſa nos à puluere.
Naſcimur halantis ceu roſida graminis herba,
Tum cùm iuuenta vernat, efflorescimus.
15 Ad ſenij triſtes hinc ſpiritus euolat horas,
Et quærat vltra nemo quo ſimus loco.
16 Sed Domini bonitas illos æterna coronat,
Diuina metuunt iuſſa qui diſſoluere.
17 Et Genitor natos natorum reſpicit æquus,
Curis tuentur pacta qui fidelibus.
18 Qui memores animo celeri mandata capeſſunt
Obtemperantes ritè ſanctis legibus.
19 Ille ſibi poſito ſolium fundauit Olympo,
Rex vnde mundo ſempiternus imperat.
20 Vos celebrate Deum qui iuſſa faceſſitis alis,
Pueri Tonanti militare nobiles.
21 Vos acies iuuenum pulchræ, vos agmina cæli
Sacræ miniſtri iuſſionis alites.
Voce lyriſq; ſimul rerũ memorate parentẽ,
22 Et

7 Notas fecit vias ſuas Moyſi: filijs Iſrael voluntates ſuas.
8 Miſerator, & miſericors Dominus: longanimis, & multum miſericors.
9 Non in perpetuum iraſcetur: neq; in æternum comminabitur.
10 Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecũdum iniquitates noſtras retribuit nobis.
11 Quoniam ſecundum altitudinem cæli à terra: corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.
12 Quantum diſtat ortus ab occidente: longe fecit à nobis iniquitates noſtras.
13 Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.
14 Recordatus eſt, quoniã puluis ſumus: homo, ſicut fœnum, dies eius, tanquã flos agri efflorebit.
15 Quõ ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & nõ cognoſcet amplius lo-
cum ſuum. 16 Miſericordia autem Dñi ab æterno: & vſq; in æternum ſuper
timentes eum. 17 Et iuſtitia illius in filios filiorum: his, qui ſeruant teſta-
mentum eius. 18 Et memores ſunt mandatorum ipſius: ad faciendum ea.
19 Dominus in cęlo parauit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus domina-
bitur. 20 Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facien-
tes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius. 21 Benedicite
Domino omnes virtutes eius: miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.

22 Benedi-

22 *Et quicquid vsquam fabricauit artifex.*
Tu quoq; mens illum quantum potes æmula tolle,
Tot obligata rebus effer laudibus.

PSALMVS CIII.
Hebr. CIV.

1 *MEns age grata suo Do- num cane Numine magnum,*
Euchit humanas vltra quem gloria metas.
2 *Pro trabea tandem; tyria pro veste decorum,*
Induit, æternum pro diuite lumen amictu.
3 *Pensilis in morem cortinæ extendit Olympum:*
Aethera suspensæ vestit testudine lymphæ.
4 *Nube vehens equitat curru ceu præpete, ventos*
Ad iuga compositos iubet ire volucribus alis,
5 *Anteuolant auræ, flammæq; ad iussa ministræ.*
6 *Imperio molem terræ fundauit inertem;*
Secula quam nullis impulsibus vlla mouebunt.
7 *Cumq; superiecto ponto redimita lateret.*
8 *Voce Dei refugas aliò mare depulit vndas;*
Inde nouo tellus apparuit arida vultu.
9 *Tum montes creuere iugis, mediæq; reducto*
Descendêre sinu latera inter frigida valles.
Et lato æquati nituerunt margine campi.
10 *Quā ne rursus aquis tegeret redeuntibus æquor*
11 *Littora signasti Genitor. Decliuia fontes*
Per iuga laxasti; riguis conuallibus amnes
12 *Vnde cadunt, purasq; bibunt animantia lymphas.*
Hinc Onagri capiunt latices, syluamq; sonantem
13 *Desuper infixis habitant auiaria nidis.*
In scopulis nemorū volucres, in frondibus altis
Tam variæ pennis, quàm vocibus æthera mulcent,
14 *Sufficis humorem pluuiæ tu montibus vndæ;*
Inque nouos saturas inarata noualia partus.

15 Hinc

22 Benedicite Dño omnia opera eius: in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.

PSALMVS CIII.
Hebr. CIV.

1 BEnedic anima mea Domino: Dñe Deus meus, magnificatus es vehementer.
2 Confessionem, & decorem induisti: amictus lumine, sicut vestimento.
3 Extendens cælum, sicut pellem: qui tegis aquis superiora eius.
4 Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum.
5 Qui facis Angelos tuos, spiritus: & ministros tuos ignem vrentem.
6 Qui fundasti terram super stabilitatem suam: nō inclinabitur in sæculum sæculi.
7 Abyssus, sicut vestimentum, amictus eius: super montes stabunt aquæ.
8 Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.
9 Ascendunt montes: & descendunt campi in locum, quem fundasti eis.
10 Terminum posuisti, quē non transgredientur: neq; cōuertentur operire terram.
11 Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertransibunt aquæ.
12 Potabunt omnes bestiæ agri: expectabūt onagri in siti sua.
13 Super ea volucres cęli habitabunt: de medio petrarū dabunt voces.
14 Rigans mōtes de superiorib' suis: de fructu operū tuorū satiabitur terra.

15 Produ-

15 *Hinc pecori faciunt verni fænilia Soles:*
Hinc ager humanas mensas olitorius implet:
16 *Hinc segetes veniunt campis; hinc collibus vuæ;*
17 *Hinc tenues vmbrat radix oleagina cliuos.*
Scilicet vt vires homini, seges afferat; hortus
Pinguis olus: curas vindemia læta relegat:
Aëreo mærens facies hilaretur oliuo.
18 *Nec minus interea sterilis plantaria sylvæ*
Cultor alis. Cedris Libanum frondētibus vmbras,
Gaudet auis caras vbi plurima figere sedes:
19 *Enodesq; legit peregrina Ciconia fagos,*
Nidorum præses longis inimica colubris.
Dorsa tuo accipiunt cerui montana fugaces
Munere, saxa cauas lepori sinuosa minori.
20 *Tu Pater vmbriferam fecisti in tempora lunam;*
Et qui luce micans Sol detegit, omnia, fesso
Terminat axe diem, & sero lauat æquore currum.
21 *Tum placuit cælo tenebras posuisse, quietem*
Nox daret, vt vigiles oculos furata labori.
22 *Tum vaga desertis errant animalia lustris;*
Excitiq; fame quærunt alimenta leones,
Teque suam magnis orant rugitibus escam.
23 *At cùm primus equis Oriens afflauit anhelis*
24 *In latebras abeunt. Humana penatibus exit*
Gens ad opus; seros donec ferat Hesperus ignes.
25 *Argumenta Parens rerumne ingentia mirer?*
Quam sapiens an cuncta regas? si plena redundat
26 *Terra? quid immensum spatijs, & flexibus æquor:*
Vnde per ornatas allabitur æstus in oras?
Innumeros generat per stagna liquentia pisces,
27 *Immanes alij dorso salis arua reuellunt;*
Exiguis alij ludunt ad littora pinnis.
At cum vela rates tendunt Aquilonibus, ausæ
Credere sæpe lago quæ monstra natantia cernunt?
28 *Cete innare vidēnt, & aquarum tollere moles.*
Siue solum teneant, seu regna humentia ponti
Tēpore cuncta suo sperāt alimēta daturū.
29 Læta

15 Producens fœnum iumentis: & herbam seruituti hominum.
16 Vt educas panē de terra: & vinum lætificet cor hominis.
17 Vt exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet.
18 Saturabūtur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit: illic passeres nidificabunt.
19 Herodij domus dux est eorū, montes excelsi ceruis: petra refugium herinacijs.
20 Fecit lunā in tempora: sol cognouit occasū suū.
21 Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ.
22 Catuli leonum rugientes: vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.
23 Ortus est sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur.
24 Exibit homo ad opus suum: & ad operationem suam vsque ad vesperum.
25 Quam magnificata sunt opera tua, Domine; omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.
26 Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus. 27 Animalia pusilla cum magnis: illic naues pertransibunt. 28 Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore.
29 Dante

29 *Læta futura manu si diu:te pabula fundis.*
30 *Si tamen auerso renuisse videberis ore :*
Sensibus attonitis animam turbata relinquunt,
Inque leuem tandem veniunt resoluta fauillam.
31 *At simul atq; tuus vitaï spiritus auras*
Impulerit, sument iterum rediuiua colorem,
Et tellus alio recreata nouabitur ore.
32 *Laus tua, perpetuum duret tua gloria tempus;*
Et fabricata volens operum monumenta secunda.
33 *Cuius in aspectu tellus exterrita nutat,*
Et pauida fumant tacti formidine montes.
34 *Dum iubar hoc nitidi video genitabile cæli,*
Dum viuo, spiroq; Deo mea carmina dicam.
35 *Vocibus ille meis tantùm bonus annuat, illo*
Sat fœlix, sat vita mihi splendebit amico.
36 *Extirpata solum scelus, impietasq; relinquant,*
Te mea, sancte Parens, mens nunquam ingrata, sonabit.

29 Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuã, omnia implebuntur bonitate.
30 Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerẽ suum reuertentur.
31 Emittes spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.
32 Sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus in operibus suis.
33 Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit mõtes, & fumigãt.
34 Cantabo Domino in vita mea: psallã Deo meo, quamdiu sum.
35 Iucundum sit ei eloquiũ meum: ego vero delectabor in Domino.
36 Deficiant peccatores à terra, & iniquiita, vt non sint: benedic anima mea Domino.

PSAL. CIV. Hebr. CV.

1 *AEternum cantate Deum, nomenq; vocate*
Numinis Isacidæ. Populos hunc esse docete,
Cuius habet nullos æterna potentia fines.
2 *Voce, lyra, plausu, conuentibus inclyta læti*
Dicite quæ valida fecit miracula dextra.
3 *Illius augustum sit gloria tollere nomen:*
Quærere, quæsitum vera inuenisse voluptas.
4 *Quærite nec dubium venient in pectora vires*
Illius O curis ardete perennibus ora.
5 *Facta memor recolat mens illa ingentia quando*
Prodigijs Pharios egit, quando inter arenas
Incultas Arabum docuit sua iura parentes.
6 *Vos genus Abrami, lecta de stirpe minores*
7 *Alloquor Isacidas, noster Deus omnia frenat,*
Et trutina mundum non falso examine pendit.
8 *Ille*

PSAL. CIV. Hebr. CV.

1 COnfitemini Domino, & inuocate nomen eius: annunciate inter gentes opera eius.
2 Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia eius.
3 Laudamini in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium Dominum.
4 Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.
5 Mementote mirabilium eius, quæ fecit: prodigia eius, & iudicia oris eius.
6 Semen Abraham serui eius: filij Iacob electi eius.
7 Ipse Dñs Deus noster: in vniuersa terra iudicia eius.

8 *Ille memor fidei pactæ rata fœdera seruat,*
Mille fluant quamuis ab aurorum secula seclis.
9 *Quæ simel Abramo, & soboli iurauit Abrami.*
10 *Iacobum statuit mansura immota nepotem.*
Huius & æternum nos posteritatis alumnos.
11 *Scilicet arua tibi dixit Cananæis seruo,*
Certa futura tuæ tanquam patrimonia sortis.
12 *Tunc autem nostra pauci de stirpe colebant,*
13 *Et profugi ignotis mutabant gentibus agros.*
Non tamen indigenis populus fuit aduena ludo:
14 *Quin pronos in eum moliri hostilia reges*
15 *Corripuit, ne tange meos gens effera Christos*
Dixit, & in sanctos sit nulla iniuria vates.
16 *Cumq; famem terræ laxis inferret habenis,*
Vt victum miseris mortalibus arua negarent:
17 *Ante Paretoniæ legauit in oppida gentis*
Aemula Iosephum quem vendidit ira suorum.
18 *Hic falso indicio non æqua in vincula missus*
19 *Sæua tulit, donec iuueni lux aurea fulsit,*
De cælo afflatam soluit quæ in somnia linguam
20 *Educto vinclis, qui late antiqua tyrannus*
Aegypto tum iura dabat, mandauit habenas;
Vt Pharon atq; aulam regeret primarius Heros.
21 *Et proceres ignota, senes meliora doceret.*
22 *Hinc pater vndantem petijt nouus accola Nilum*
Iacobus cum stirpe Chami regionibus hospes.
23 *Quem Deus ingenti numero increuisse nepotum*
Fecit, & ardentem furijs super extulit hostem,
24 *At metus, vnanimes & conscius vrere liuor,*
Consilia Aegypti mutauit in impia regem.
Hinc odijs populum sæuis, hinc arte maligna
Cura fuit duro miseros abolere tyranno.

25 Sed

8 Memor fuit in sæculum testamẽti sui: verbi, quod mandauit in mille generationes.
9 Quod disposuit ad Abraham: & iuramenti sui ad Isaac.
10 Et statuit illud Iacob in præceptum: & Israel in testamentum æternum.
11 Dicens; Tibi dabo terram Chanaan: funiculum hæreditatis vestræ.
12 Cũ essent numero breui: paucissimi & incolæ eius.
13 Et pertransierũt de gente in gentem: & de regno in populum alterum.
14 Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges.
15 Nolite tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari.
16 Et vocauit famem super terram: & omne firmamentum panis contriuit.
17 Misit ante eos virum: in seruum venundatus est Ioseph.
18 Humiliauerunt in compedibus pedes eius: ferrum pertransijt animam eius, donec veniret ver-
bum eius. 19 Eloquium Domini inflammauit eum: misit rex, & soluit eum;
princeps populorum, & dimisit eum. 20 Constituit eum dominum domus
suæ: & principem omnis possessionis suæ. 21 Vt erudiret principes eius, si-
cut semetipsum: & senes eius prudentiam doceret. 22 Et intrauit Israel in
Aegyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham. 23 Et auxit populum suum
vehementer: & firmauit eum super inimicos eius. 24 Conuertit cor eorum,
vt odirent populum eius: & dolum facerent in seruos eius.

25 Misit

25 *Sed Genitor Mosen, & fratrem misit Aronem,*
26 *Qui Pharias agerent magnis terroribus vrbes.*
27 *Continuò iussis parent cælestibus ambo,*
Et Deus inuoluit picea caligine cælum.
28 *Vertit aquam fluuijs in nigrum sanguinis amnem:*
Occidit tremulos per stagna liquentia pisces.
29 *Terra dabat querulas pro frugibus humida ranas*
Attonitis etiam lautæ in penetralibus aulæ.
30 *Asper acerba sonans muscarum exercitus alis*
Increpuit, Pharias texerunt Cyniphes oras,
31 *Decidit inuisæ lapidosus grandinis imber,*
32 *Flammaq; nec vitis frontes, nec ficubus vmbras,*
Nec poma arboribus, nec syluæ arbusta reliquit.
33 *Mox in relliquias vnpasta locusta volauit,*
34 *Et diros acuit morsus in gramina bruchus.*
Nec Pharos hic cessit, nec numinis ira quieuit.
35 *Corpora nox thalamis quando intempesta fouebat,*
Primitias pecorum vindex hominumq; peremit.
Tum fracti cecidit feritas animosa tyranni
36 *Et gens sancta Deo tandem Pharon auspice liquit*
Diues opum, tacto morborum nemine telis.
37 *At Pelusiaci gaudent abiisse coloni*
Isacidas, si fortè metus Diræq; recedant,
Et pax compositis redeat tranquillior auris.
38 *Nube Deus profugis Solem remouebat opaca:*
Fulgentem castris in noctem prætulit ignem.
39 *Indulsit gratas auium poscentibus escas,*
Aethereis querulas satiauit frugibus aluos.
40 *Flumina percusso dedit exundantia saxo,*
Et laticum fluuijs bibulas impleuit arenas.
41 *Hæc Pater omnipotens haud fœderis immemor*
Quo sibi perpetuùm fidum sociauit Abramū. (icti,

42 Sic

25 Misit Moysen seruum suum: Aaron, quem elegit ipsum.
26 Posuit in eis verba signorum suorum: & prodigiorum in terra Cham.
27 Misit tenebras, & obscurauit: & non exacerbauit sermones suos.
28 Conuertit aquas eorum in sanguinem: & occidit pisces eorum.
29 Edidit terra eorum ranas: in penetralibus regum ipsorum.
30 Dixit, & venit cœnomyia: & cinifes in omnibus finibus eorum.
31 Posuit pluuias eorum grandinem: ignem comburẽtem in terra ipsorū.
32 Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contriuit lignum finiū eorum.
33 Dixit, & venit locusta, & bruchus: cuius non erat numerus.
34 Et comedit omne fœnū in terra eorum: & comedit omnem fructum terræ eorum.
35 Et percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.
36 Et eduxit eos cum argento, & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus.
37 Lætata est Aegyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum super eos.
38 Expandit nubem in protectionem eorum: & ignem, vt luceret eis per noctem.
39 Petierunt, & venit coturnix: & pane cæli saturauit eos.
40 Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina.
41 Quoniam memor fuit verbi sancti sui: quod habuit ad Abraham puerum suum.

42 Et

42 *Sic Domus Isacidum Pharios duce numine læta,*
43 *Fugit, & eiectis antiqua è sede colonis,*
Aedificata velut patriæ colit oppida fortis.
44 *Scilicet vt Domini teneant immobile fœdus,*
Et leges adeant, sancitaq; iura capessant:
Aeternum ô omnis quem laudibus efferat ætas.

PSALMVS CV.
Hebr. CVI.

1 *EIa Deum laudate bonum clementia cuius*
Spatijs non clauditur æui.
2 *Facta quis eloquij felix ingentia dicet,*
Laudumq; æquabit honorem.
3 *O qui iura poli memores diuina reuoluunt,*
Et semper iussa capessunt.
4 *Respice me carum populum quo lumine cernis,*
Placidusq; impende salutem.
5 *Vt videam Genitor bona quæ largiris amicis*
Vt lætus gaudia gentis.
Alme tuæ capiam, sociusq; ad carmina tendam
Tibi quæ tua prædia dicunt.
6 *Nos & aui scelerum pœnis obnoxia turba*
Immania fecimus olim.
7 *Non pelusiacas illi tua facta per vrbes*
Animo sapiente notarunt.
Nec meminere tuæ quanto bonitatis amore
Vincla effugere Tyranni.
8 *Inuia te propter pelagi caua littora rubri*
Irritauere frementes.
9 *Seruasti tamen immeritos, vt nosceret orbis*
Cæli pelagiq; potentem.
10 *Nam simul increpuit tua vox, salis alueus imas*
Ostendit siccus arenas.
Inter aquas populum duxisti in tuta, per æqua
Strati velut æquora campi.

11 Et vin-

42 Et eduxit populum suum in exultatione: & electos suos in lætitia.
43 Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum possederunt.
44 Vt custodiant iustificationes eius: & legem eius requirant.

PSAL. CV. Hebr. CVI.

1 CONfitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.
2 Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes eius?
3 Beati, qui custodiunt iudicium: & faciunt iustitiam in omni tempore.
4 Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.
5 Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: vt lauderis cum hæreditate tua.
6 Peccauimus cum patribus nostris: iniustè egimus, iniquitatem fecimus.
7 Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt
memores multitudinis misericordiæ tuæ.
8 Et irritauerunt ascendentes in
mare: mare rubrum.
9 Et saluauit eos propter nomen suum: vt notam
faceret potentiam suam.
10 Et increpuit mare rubrum, & exiccatum est:
& deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.

11 Et sal-

11 *Et vindex odij, pœnæ, armorumq; locasti*
Aduerso in littore saluum.
12 *Vnda sed oppressos glomerata resorbuit hostes,*
Nullo fugiente procellam.
13 *Tunc habuere fidem verbis, tum voce canora*
Domino cecinere triumphum.
14 *Attamen obliti rerum, sanctissima patrem*
Non sustinuere monentem.
15 *Et cupidæ flamma torrente libidinis acti*
Per inhospita saxa quietum
16 *Tentauere Deum, sceleratis annuit ille*
Vsq; ad fastidia votis.
17 *In trepidis Mosen castris furor æmulus egit,*
Et sacrum Arona Tonanti
18 *Terra sed immani gremium patefecit hiatu,*
Raptumq; Dathana vorauit.
Et coniuratos Abironis vt hausit, aperti
Commisit gurgitis Oras.
19 *Arsit flamma rapax, turpem populata senatum,*
Capita impia detulit Orco.
Nec pœnis domiti soliti posuere furorem:
20 *Sed conflauere iuuencum.*
Horebi ad montes, & fusilis ante metalli
Proni cecidere figuram,
21 *Mutauere sui decoris præconia, Tauri*
Carpentis imagine fœnum.
22 *Numinis immemores quo solo impunè volarunt*
Ad libertatis honorem.
Territa prodigijs Aegyptus cessit, & arua
Chammi tremefacta coloni.
Cuius ab imperio suspensis horruit vndis
Mare cùm vada vidit apertum.
23 *At genus ingratum stirpe euertisset ab ima,*
Ni Moses lenia fando

24 *Orasset*

11 Et saluauit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.
12 Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remansit.
13 Et crediderunt verbis eius: & laudauerunt laudem eius.
14 Cito fecerũt: obliti sunt operum eius: & non sustinuerunt cõsilium eius.
15 Et concupierunt concupiscentiam in deserto: & tentauerunt Deum in inaquoso.
16 Et dedit eis petitionem ipsorum: & misit saturitatem in animas eorum.
17 Et irritauerunt Moysen in castris: Aaron sanctum Domini.
18 Aperta est terra, & deglutiuit Dathan: & operuit super congregationem Abiron.
19 Et exarsit ignis in synagoga eorũ: flamma combussit peccatores.
20 Et fecerunt vitulum in Horeb: & adorauerunt sculptile.
21 Et mutauerunt gloriam suam: in similitudinem vituli comedentis fœnum.

22 Obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham: terribilia in mari rubro. 23 Et dixit, vt disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.

24 *Craſſet veniam, lethumq; inferre parantem*
Dominum reuocaſſet ab ira.
Quid memorem? toties queſti fugientia longè
Optati limitis arua.
Vt propius venere, ſoli nihil vberis æquor
Animis duxere ſuperbis.
25 *Hortantiſq; Dei certi non credere dictis*
Caſtra inuoluere querelis.
26 *Extulit ergo manum deſerta per auia, gentem*
Vt ſterneret enſe rebellem.
27 *Relliquias varijs profugas erroribus oras*
Populorum ferret in omnes.
28 *Interea Phegoris ritus didicere Baalis,*
Et Dijs libata ſepultis
29 *Exta vorauerunt. Pro talibus at Pater auſis*
Contagia lurida miſit.
30 *Sed bonus egregia Phinees vt cæde litauit:*
Peſtis fugere ſagittæ.
31 *Idq; viro factum decus immortale nepotum*
In ſeros attulit annos.
32 *Propter aquas Meribæ gens ſeditioſa Tonantem*
Iterum commouit: & ipſum
His adeò furijs Moſem popularibus ægrum
Iurgante coarguit ira.
33 *Quid mandata ſequar? populis, occidere iuſſi;*
Vitam pro morte dederunt.
34 *Gentibus immiſti quarum cum ritibus vltrò*
Sunt numina vana ſecuti.
Et ſeruire Deûm pictis voluere figuris:
Vnde omnis cauſa malorum.
35 *O ſcelus: horrendis ſua pignora manibus Orci*
Ipſi occidere parentes.
36 *Fumantem pateris ipſi effudere ſuorum*
Spectra ad Cananæa cruorem.
37 Inno-

24 Vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos: & pro nihilo habuerũt terram deſiderabilem.
25 Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis ſuis: non exaudierunt vocem Dñi.
26 Et eleuauit manũ ſuam ſuper eos: vt proſterneret eos in deſerto.
27 Et vt deijceret ſemẽ eorum in nationibus: & diſpergeret eos in regionibus.
28 Et initiati ſunt Beelphegor: & comederent ſacrificia mortuorum.
29 Et irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis: & multiplicata eſt in eis ruina.
30 Et ſtetit Phinees, & placauit: & ceſſauit quaſſatio.
31 Et reputatum eſt ei in iuſtitiam: in generationem, & generationem vſque in æternum.
32 Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis; & vexatus eſt Moyſes propter eos: quia exacerbauerunt ſpiritum eius.
33 Et diſtinxit in labijs ſuis:

non diſperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.
34 Et commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum; & ſeruierunt ſculptilibus eorum: & factum eſt illis in ſcandalum.
35 Et immolauerunt filios ſuos: & filias ſuas dæmonijs.
36 Et effuderunt ſanguinem innocentem: ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.

37 Et in-

37 *Innocuō maduittunt hoſpita ſanguine Tellus,*
Patrum maculata furore.
Cæleſtiſq; tori gens aſpernata pudorem,
Sibi legit adultera ſordes.
38 *His Deus auerſus, ſtirpem quam legerat, odit;*
Deteſtatamq; reliquit.
39 *Inq; poteſtatem gentis veniſſe ſuperbæ,*
Dedit & ſeruire tyrannis.
40 *Tum grauis imperij faſtus experta minaces,*
Criſtas animoſq; remiſit.
Sed Pater aſpiciens quam dura atq; aſpera ferret,
Captiuam ſæpe redemit.
41 *Nec tamen ingenio vidit meliora relicto,*
Sed propter crimina rurſus
42 *Occidit; & cæli patrem miſeranda rogauit:*
Pater annuit, & memor icti
43 *Fœderis, irarum laxas compreſſit habenas,*
Iam lenis: & ænea quondam
44 *Gentis inhumanæ molliuit pectora, cuius*
Faſces captiua ferebat.
45 *Eripe nos Genitor totq; à regionibus actos*
Ad patria collige tecta.
46 *Nomen vt alme tuum tollamus in æthera plauſu:*
Tua læti vt facta canamus.
47 *Sit Deus Iſacidum celebris, dum ſecula voluit*
Stellis redeuntibus æther.
Vocibus, & fremitu plebes hilarata ſecundo
Domino ſit gloria, clamet:
Amen Amen.

37 Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum: & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis.
38 Et iratus eſt furore Dominus in populum ſuum: & abominatus eſt hæreditatem ſuam.
39 Et tradidit eos in manus gẽtium: & dominati ſunt eorum, qui oderunt eos.
40 Et tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manibus eorum: ſæpe liberauit eos.
41 Ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo: & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis.
42 Et vidit, cum tribularentur: & exaudiuit orationem eorum.
43 Et memor fuit teſtamẽti ſui: & pœnituit eum ſecundum multitudinẽ miſericordiæ ſuæ.
44 Et dedit eos in miſericordias: in cõſpectu omnium, qui cœperant eos.
45 Saluos nos fac, Domine Deus noſter: & congrega nos de nationibus.
46 Vt confiteamur nomini ſancto tuo: & gloriemur in laude tua. 47 Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo, & vſque in ſæculum: & dicet omnis populus; Fiat, fiat.

LIBRI QVARTI FINIS.






LVDOVICI CRVCII OLYSIPPONENSIS SOCIETATIS IESV.

IN LIBRVM PSALMORVM INTERPRETATIONIS POETICAE LATINE,

Liber Quintus.

PSALMVS CVI.
Hebr. CVII.



1 *Ia bonum laudate Deum, quem secula mitem*
Omnia nascentis sensere ab origine mundi.
2 *Vos memorate bonum quos duro ex hoste receptos*
Amissæ antiquas patriæ reuocauit in oras:
3 *Exilium seu terra fuit qua lucifer exit,*
Seu qua purpureos sero lauat æquore crines,
Humita siue Noto, Boreæ seu torrida flatu.
4 *Errarunt profugi deserta per auia quondam,*
Qua sedes hominum nulli posuere coloni.
5 *Non fuit vnda siti, non esurientibus esca:*
Inq; malis animus duris stupefactus inhæsit.
6 *Alma Dei afflictis orarunt numina rebus,*
Et Pater auxilio miseros præsente leuauit,

7 *Reclu-*

PSALMVS CVI.
Hebr. CVII.

1 CONfitemini Domino, quoniam in sæculum misericordia eius.
2 Dicát, qui redempti sunt à Dño, quos redemit de manu inimici: & de regionibus congregauit eos.
3 A solis ortu, & occasu: ab aquilone, & mari.
4 Errauerunt in solitudine in inaquoso: viã ciuitatis habitandi nõ inuenerũt.
5 Esurientes, & sitientes: anima eorũ in ipsis deficit.
6 Et clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eripuit eos.

7 Et de-

7 *Reclusitq; viam qua tandem in culta venirent.*
8 *Ergo bonum miseris Dominum succurrere dicant,*
Et quibus humanum factis genus erigat vltro.
9 *Ille animam rerum penitus satiauit inanem,*
Membraq; restituit iam deficientia, vitæ.
10 *Cùm vincti in tenebris, & lethi horrore iacerent*
Afflictiq; famem gemerent, ferrumq; timerent:
11 *(Scilicet ætbereis fuerint quod legibus olim*
Consilijsq; Dei tranquilla in pace rebelles)
12 *Tot damnis humiles, & mille doloribus ægri,*
13 *Auxilio vacui, Dominum sibi adesse rogarunt;*
Qui miseris facilem clamoribus appulit aurem:
14 *Damnaq; placatus repulit quæcunq; tremebant.*
15 *Ergo bonum miseris illum succurrere dicant,*
Et quibus humanum factis genus erigat vltro:
16 *Ostia tot fractis qui vectibus ænea rupit.*
17 *Nescia mens hominum, pœnæ secura futuræ*
Indulget vitijs; languor tamen vndiq; missus
18 *Sæuit, & ingrati torquent fastidia victus.*
Interea macies ægros, & lethifer æstus
Ducit in attoniti frigentia lumina busti.
19 *At votis Dominum fracti precibusq; fatigant*
20 *Et timidos facilis vicina à morte reducit:*
Immisso curans lethalia vulnera verbo.
21 *Ergo bonum miseris illum succurrere dicant,*
Et quibus humanum factis genus erigat vltro.
22 *Laudum sacra ferãt, demptos se à funere vulgent.*
23 *Qui tumidum pandis latè mare nauibus errant,*
Mutantes alio vectas à littore merces,
24 *Numinis in medio cernunt miracula ponto.*

25 *Cùm*

7 Et deduxit eos in viam rectam: vt irent in ciuitatem habitationis.
8 Confiteantur Dño misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.
9 Quia satiauit animã inanem: & animam esurientem satiauit bonis.
10 Sedentes in tenebris, & vmbra mortis: vinctos in mendicitate, & ferro.
11 Quia exacerbauerunt eloquia Dei: & consilium altissimi irritauerunt.
12 Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit, qui adiuuaret.
13 Et clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos.
14 Et eduxit eos de tenebris, & de ũmbra mortis: & vincula eorũ disrupit.
15 Confiteantur Dño misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.
16 Quia contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit.

17 Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter iniustitias enim suas humiliati sunt. 18 Omnem escam abominata est animá eorum: & appropinquauerunt vsque ad portas mortis. 19 Et clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos. 20 Misit verbum suum, & sanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum. 21 Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum. 22 Et sacrificent sacrificiũ laudis: & annuncient opera eius in exultatione. 23 Qui descendant mare in nauibus: facientes operationẽ in aquis multis. 24 Ipsi viderunt opera Domini: & mirabilia eius in profundo.

25 *Cùm iubet emissæ crepitans sonat halitus auræ,*
26 *Et mare nunc cælo, stygijs nunc manibus infert.*
27 *Mens nautis animusq; cadit, fumantia vini*
Largius hausissent veteris ceu pocula, nutans.
Rector in incerto positus, nec remige nauem
Nec velo Zephyros, nec sustinet æquora clauo.
28 *Vna salus orare Deum si fortè remittat*
Tempestas, & opem bonus implorantibus affert.
29 *Stare iubet ventos, tempestatemq; silere:*
Et pigri in morem stagni tumida æquora placat.
30 *Mirantur posuisse Notos, lætiq; secundis*
Flatibus, adueniunt patrios duce numine portus.
31 *Ergo bonum miseris Dominum succurrere dicant,*
Et quibus humanum factis genus erigat vltro
32 *Illum in Concilijs populi, patrumq; senatu*
Ingeminent, referant illi euasisse profundum.
33 *Flumina desertis arentia mutat arenis,*
Reddit sicca vagis humentia fontibus arua:
34 *Et pingues sterili vitiat salsugine campos,*
Scilicet indigni quoniam meruere coloni.
35 *At contra arentes in stagna liquentia glebas*
Vertit, & irriguis inducit flexibus amnes.
36 *Has Genitor sedes turbæ largitur egenæ,*
Illa sibi leges concors & mœnia ponit.
37 *Sulcat humum ferro, lectas ferit ordine vites,*
Et noua respondent cultorum semina curæ
38 *At pater indulgens operi, nunc temperat æstum*
Imbribus, aëreos arcet nunc solibus imbres.
Prole domos, fœtis agros animantibus implet.
39 *Quod si nequities profugos agit æmula mores,*
Contrahit effusas largæ pietatis habenas.
Hinc abit in nihilum magnæ respublica gentis,
Pars abeunt morbis, pars belli iure tyrannis

40 *Succum-*

25 Dixit, & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus eius.
26 Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.
27 Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est.
28 Et clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eduxit eos.
29 Et statuit procellá eius in auram: & siluerunt fluctus eius.
30 Et lætati sunt, quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.
31 Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.
32 Et exaltent eum in ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum.
33 Posuit flumina in desertum: & exitus aquarum in sitim.
34 Terram fructiferam in salsuginem: à malitia in-
habitantium in ea. 35 Posuit desertum in stagna aquarum: & terram sine
aqua in exitus aquarum. 36 Et collocauit illic esurientes: & constitue-
runt ciuitatem habitationis. 37 Et seminauerunt agros, & plantauerunt
vineas: & fecerunt fructum natiuitatis. 38 Et benedixit eis, & multiplicati
sunt nimis: & iumenta eorum non minorauit. 39 Et pauci facti sunt: & ve-
xati sunt à tribulatione malorum, & dolore.

40 Effusa

40 *Succumbunt, laceram pars seditionibus vrbem*
Effugiunt, ipsi proceres in montibus errant.
41 *Innocuos Genitor sed non patietur anhelam*
Deplorare famem, gregibus sed ouilia latis
Plena dabit referant vt tecta antiqua bonorum.
42 *Hæc iusti aspiciunt hilares, at muta silescit,*
43 *Improbitas. Sapiens ô qui hæc sub pectore voluit.*
Quem Domini bonitas seruat sciet alma tenorem.

PSALMVS CVII.
Hebr. CVIII.

1 *Cor est paratum, vox, lyra, nablia,*
Ad te canendum Rex bone cælitum:
Hoc mens anhelat, tinnulaq́;
Huc citharæ mea fama tendit.
2 *Vos iuncta dulci nablia barbito,*
Cælum priusquam lux noua detegat
Proferte cantum: mane surgam
Ante vagos Orientis ignes.
3 *Te sancte dicam Rex habitabiles*
Mundi per oras: audiet accola
Me qui calentem potat Indum,
Aut Tanais glacialis vndas.
4 *Benignitatis laude micantium*
Ascendis vltra lumina syderum:
Fideq́; tranas inquietas
Aëreæ regionis arces.
5 *Stellante fulge clarior æthere*
Tuaq́; profer lampada gloriæ:
Vt innocentes liberentur
Quos animo refoues amico.
6 *Dextra inuocantem me tua sospitet,*
Has aure voces leniora accipe:
De monte cæli te loquentem
En video mihi grata regem.
7 *Placet quod optas. Iam tibi partiar*
Aruum Sichemes nobile messibus:
Demetiar vallem Socboti.
Planitie viridantis vdæ.

8 *Bissena*

40 Effusa est cõtemptio super principes: & errare fecit eos in inuio, & non in via.
41 Et adiuuit pauperem de inopia: & posuit, sicut oues, familias.
42 Videbunt recti, & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os suum.
43 Quis sapiẽs, & custodiet hæc? & intelliget misericordias Domini?

PSALMVS CVII.
Hebr. CVIII.

1 Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, & psallam in gloria mea.
2 Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cythara: exurgam diluculo.
3 Confitebor tibi in populis, Domine: & psallam tibi in nationibus.
4 Quia magna est super cęlos misericordia tua: & vsque ad nubes veritas tua.
5 Exaltare super cælos, Deus, & super omnem terram gloria tua: vt liberentur dilecti tui.
6 Saluum fac dextera tua, & exaudi me: Deus locutus est in sancto suo.
7 Exultabo, & diuidam Sichimam: & conuallem tabernaculorum dimetiar.

8 Meus

8 *Bissena proles est mea, scilicet*
Ortus vetusto sanguis ab Isaco:
Gilad, Manasses, Ephraimus
Præsidium clypeusq; regni.
9 *Iudas paterni sceptrifer imperi*
Det iura lectis regia fratribus:
At sit Moabi stirps, ahenum
Quo gelida lauer amnis vnda.
10 *Vexilla Idumes finibus inferam:*
Aut victa subdet se mihi principi,
Aut gens Palæstinæ rogatum
Accipiet cohibenda fœdus.
11 *Munita quis me ducet in oppida?*
Arces Idumes ecquis in arduas
Mecum profectus militando
Per trepidas æquitabit vrbes?
12 *Quis ducet? ibis tu pater agminum*
Ductor meorum qui prius impios
Nos reppulisti, non gerendo
Signiferi velut ante munus.
13 *Sed nunc in arctis alme periculis*
Te siste primum: spes alit irritas
Quicunq; mortalem futuram
Auxilio sibi credit hastam.
14 *Te prælianres fortiter auspice*
Cæso in penates hoste redibimus:
Aduersa castra & perduelles
In nihilum tua dextra vertet.

PSALMVS CVIII.
Hebr. I X.

1 *Pater colende, laudis ô author meæ*
Ne finge nunc silentium.
Sceleratus & dolosus en hiscit, sui
Vt virus oris euomat.
2 *Odiosa notis verba texunt fraudibus.*
Et immerentem prælijs
3 *Vltro fatigant. Alij quorum gratia*
Votis adiui sidera:
4 *Reddunt amanti mille contumelias,*
Pro commodis incommoda.

5 *Hunc*

8 Meus est Galaad, & meus
est Mauasses: & Ephraim
susceptio capitis mei.
9 Iuda rex meus: Moab le-
bes spei mei.
10 In Idumeam extendam
calceam ẽtum meum: mi-
hi alienigenæ amici facti
sunt.
11 Quis deducet me in ci-
uitatem munitam? quis
deducet me vsq; in Idu-
mæam?
12 Nonne tu, Deus, qui re-
pulisti nos: & non exibis,
Deus, in virtutibus no-
stris?
13 Da nobis auxilium de
tribulatione: quia vana
salus hominis.
14 In Deo faciemus virtu-
tem: & ipse ad nihilũ de-
ducet inimicos nostros.

PSALMVS CVIII.
Hebr. C I X.

1 Deus, laudem meam
ne tacueris: quia os
peccatoris, & os dolosi
super me apertum est.
2 Locuti sunt aduersum me
lingua dolosa, & sermoni-
bus odij circumdederũt
me, & expugnauerũt me
gratis.
3 Pro eo, vt me diligerent,
detrahebant mihi: ego
autem orabam.
4 Et posuerunt aduersum
me mala pro bonis: & o-
dium ꝓ dilectione mea

5 Consti-

5 *Hunc sub tyranno pone, diris vrgeat*
Hunc læuus atris angelus
6 *Reus citetur, & seuero prodeat*
Damnatus à prætorio.
Oratione quando facta diluet
Acerbet in se iudicem.
7 *Aeui ante metas funeretur: & locum*
Honoris alter auferat.
8 *Sit orba proles, vxor at solatijs*
Defecta coniugalibus
9 *Soboles oberret mœsta, victus indiga*
Ab æde patris exulet.
10 *Bona fœnerator exigat, laboribus*
Quæsita multis occupet
11 *Alienus hæres. Nemo præsidio leuet*
Misertus orbos liberos.
12 *Cadat propago tota, prima sanguinis*
Origo, sit nouissima.
13 *Vltoris ante numinis vultum, patris*
Iniquitas obambulet.
Incesta matris acta ne fugacibus
Obliterentur seculis.
14 *Hæc fixa menti Rector æternus gerat*
Vt vindicet; sed incolæ
Terræ hunc silescant. Non misertus pauperis;
Nulli sit vnquam flebilis.
15 *Nam persecutus indigum, letho dare*
Conatus est innoxium.
16 *Maledictionem fouit, ipse eat comes*
Amara detestatio.
Benedicta fugit, nemo comprecabitur
Illi secundos exitus.
17 *Maledictionem vestis instar induit,*
At repsit in præcordia,
Vt hausta siccas vnda per venas meat,
Et ossa oliuum funditur.

18 *Hoc*

5 Cõstitue super eum peccatorem: & diabolus stet à dextris eius.
6 Cum iudicatur, exeat cõdemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.
7 Fiant dies eius pauci: & episcopatũ eius accipiet alter.
8 Fiant filij eius orphani: & vxor eius vidua.
9 Nutantes transferantur filij eius, & mendicent: & eijciantur de habitationibus eius.
10 Scrutetur fœneraor omnem substantiã eius: & diripiãt alieni labores eius.
11 Non sit illi adiutor: nec sit, qui misereatur pupillis eius.
12 Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius.
13 In memoriã redeat iniquitas patrũ eius in conspectu Domini: & peccatum matris eius non deleatur.
14 Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum: pro eo, quod non est recordatus facere misericordiam.
15 Et persecutus est hominem inopem, & mendicum: & compunctũ corde mortificare. 16 Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. 17 Et induit maledictionem, sicut vestimentum: & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.

PSALMVS CIX.
Hebr. C X.

1 *GRata meo Dominus Domino sic ore locutus*
Dixit, Parenti Nate dexter assidē.
2 *Donec sacra pedum deuoluo ad scamna tuorum,*
Fractis rebelles æmulos ceruicibus.
3 *Imperiosa feram domitum tua sceptra per orbem*
Claræ Sionis è niuali verticē.
Scilicet vt tumidos vnus domineris in hostes,
Mediusq; cunctis imperes mortalibus.
4 *Quando triumphabis, populus tuus aurea tecum*
Lætis adibit templa cantionibus.
Vt ros ille tuæ gemmauit originis, antē
Quam purpuraret ore nubes Lucifer!
5 *Iurauit Dominus, quæ non iurasse pigebit,*
Melchisedeccis te sacerdotem forē
Scilicet antiquo ventura in secula morē,
Dum pulcher astra ducet æther ignea.
6 *Ipse tibi dexter fusa populabitur irā*
Vulgoq; reges sternet aduersarios.
7 *Attonitis etiam populis ad iura coactis,*
Ingesta paßim congeret cadauerā.
Qui tibi ne quicquam steterit contrarius armis,
Luet insolentem tritus impotentiam
8 *Tuq; sitim pelles vndante à sanguinis amnē,*
Caputq; victor inseres astris tuum.

PSALM. C X. Hebr. C X I.

1 *ME siue patrum curia detinet,*
Cætus virorum seu popularium:
Ex corde primum, tum sonoro
In Domini feror ore laudes.
2 *O facta veri numinis inclytā?*
Sic esse norunt qui cupientibus
Ardent medullis & Tonantis
Artificis monumenta quærunt.
3 *Laus, pulchritudo, gloria fabricam*
Illius ornant, sancta volatilē
Decreta legum tempus vltra,
Quod volucri fluit axe, tendunt.

4 *Hæc*

PSAL. CIX. Hebr. CX.

1 DIxit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.
2 Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum.
3 Virgā virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.
4 Tecum principiū in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex vtero ante luciferum genui te.
5 Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secūdum ordinem Melchisedech.
6 Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ suæ reges.
7 Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.
8 De torrente in via bibet: ꝓpterea exaltabit caput.

PSAL. CX. Hebr. CXI.

1 COnfitebor tibi, Domine, in toto corde meo: in consilio iustorū, & congregatione.
2 Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates eius.
3 Confessio, & magnificētia opus eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi.

4 Memo-

4 *Hæc summa rerum, limes hic omnium*
Miraculorum quæ bonus edidit;
Suum colentes numen, olim
Aetherea satiauit esca.
5 *Non ille pacti fœderis immemor,*
Formidolosæ robora dexteræ
Ostendit olim, bella caro
Pro populo generosa pugnans.
6 *Vt læta nobis scilicet oppida*
Pulsis colonis traderet Omanum
Quam veritatis, nec mouendi
Integritas comitatur Aequi.
7 *Quæcunq; sanctis legibus imperat,*
Sunt pura curis iussa fidelibus:
Mansura semper, non fugacis
Caniciem patientur æui.
8 *E barbarorum finibus, Isaci*
Stirpem recepit, cui rata fœdera
Promisit æternum futura,
Si coleret studiosa leges.
9 *Sanctum & tremendum nomen amabilis*
Est conditoris: Sed sapientiæ
Addisce Tellus, esse verum
Principium metuisse numen.
10 *Hæc vna mentes regula dirigit,*
Quæ laude pollent perspicientiæ:
Hinc fama nullis seculorum
Exoritur fugitura pennis.

4 Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.
5 Memor erit in sæculum testamenti sui: virtutem operum suorum annunciabit populo suo.
6 Vt det illis hæreditatem gentium: opera manuum eius veritas, & iudicium.
7 Fidelia omnia mandata eius, confirmata in sæculum sæculi: facta in veritate, & æquitate.
8 Redemptionem misit populo suo: mandauit in æternum testamẽtum suũ.
9 Sanctum, & terribile nomen eius: initium sapientiæ timor Domini.
10 Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in sæculum sæculi.

PSAL. CXI. Hebr. CXII.

1 *O Felix animi qui relligiosus honorat*
Numen, piusq; iussa casto numinis
2 *Ardet amore sequi. Semen dominabitur eius:*
Deus piorum nam beat propaginem.
3 *Illius innocuos gaudent habitare penates,*
Opes & almæ vera famæ gloria.
Indeq; lethæum generans obliuia tempus,
Non æquitatis auferet repagula.
4 *Offendent alij propter caliginis vmbras,*
Iusto bonoq; lux præibit ætheris.

PSALMVS CXI. Hebr. CXII.

1 Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis.
2 Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.
3 Gloria, & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi.
4 Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, & miserator, & iustus.

5 Qui

5 Iucun-

5 *Qui miseræ clemens inopum fert commoda sorti,*
Grauis author æqui, iudices affabitur.
Machina non trepidi quamuis ruat eruta mundi,
Loco vacillans de suo mouebitur.
6 *Aeterna accipient illum præconia famæ,*
Nihil timentem fraudis humanæ vices.
7 *Quin Domino fretus manet imperterritus hostes,*
Visurus illos vt ruentes occidant.
8 *Dat sua pauperibus, decora immortalia cautus*
Opum superbo præferens ludibrio.
Hinc illum roseis attollet gloria pennis,
Quam non vetustas delet, aut obliuio.
9 *Impius hæc oculis animi tormenta videbit:*
Horrenda frendet intuens quod oderit.
Se cruciet donec pallens cutis ossa renudet,
Votis abibit ad sepultos irritis.

PSAL. CXII. Hebr. CXIII.

1 *VOcibus læti pueri ô canori*
Omnium patrem memorate rerum:
Eius augustum super astra cantu
Tollite nomen.
2 *Verba diuinum benedicta nomen,*
Huius à cursu fugientis æui,
Ad futurorum vaga seculorum
Secula tollant.
3 *Solis à primo radiantis ortu,*
Ad plagam vasti maris occidentem
Principis sanctum resonent mouentis
Omnia nomen.
4 *Altior terræ populis, corusca*
Syderum multo colit igne templa
Cuius ardentem radijs Olympum
Gloria tranat.
5 *Qui Deos cocto facitis metallo,*
Aut laborato simulacra trunco:
Cui vaporantes simili dicatis
Thuris acerras?
Noster æternas habet vnus arces,
Perq; terrarum latebras, & vltra
Nubium tractus nihil occulentes
Lumina ducit.

6 Ille

5 Iucundus homo, qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in iudicio: quia in æternum nõ commouebitur.
6 In memoria æterna erit iustus: ab auditione mala non timebit.
7 Paratum cor eius sperare in Domino, cõfirmatum est cor eius: non commouebitur, donec despiciat inimicos suos.
8 Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in sæculum sæculi: cornu eius exaltabitur in gloria.
9 Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorũ peribit.

PSALMVS CXII. Hebr. CXIII.

1 LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.
2 Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.
3 A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen Domini.
4 Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cælos gloria eius.
5 Quis sicut Dñs Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cælo, & in terra?

6 Susci-

6 *Ille deductos inopes ab vmbra*
Publici lucem vocat in theatri
Oblitis cæno Tyrios egenis
Vestit amictus.
7 *Et toro claros locat inuidendo*
Quo sedent reges proceresue regum
Iussa dicturi, vel amica pacis
Iura daturi.
8 *Ille mœrentes sine prole matres,*
Implet oratus sobole: paternas
Liberum felix noua mater vnde
Incolit ædes.

6 Suscitās à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

7 Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

8 Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

PSAL. CXIII. Hebr. CXIV.

1 *ABramidarum cùm domus exitu*
Felice Memphim liquit inhospitam,
Quam Nilus hyberna per æstum
Alluuie peregrinus vndat.
2 *Iudæ propago tunc fuit ætheris*
Sacrata regni: tum genus Isaci
Vnum recepit, cuius omni
Imperijs regeretur æuo.
3 *Vidit rubenti pontus ab æquore,*
Scissóq; fugit territus alueo:
Iordanis in fontes reduxit
Attonitas fugitiuus vndas.
4 *Sese extulerunt culmina montium,*
Sicut minoris dux gregis exilit:
Lusere colles vt per arui
Planiciem viridantis agni.
5 *Quid est apertis cur mare fluctibus*
Reclusa nunquam per vada fugeris?
Iordanis ecquid te coëgit
In pauidos remeare fontes?
6 *Cur extulistis culmina verticem*
Vt dux ouili se gregis erigit?
Vestraq; moti sede colles
Et teneri salijstis agni?
7 *Os terra pallens scilicet inclytum*
Formidolosi Numinis horruit:
Sub cuius æterna propago
Isacidum ditione viuit.

8 *In*

PSALMVS CXIII.

Hebr. CXIV.

1 IN exitu Israel de Ægypto: domus Iacob de populo barbaro.

2 Facta est Iudæa sanctificatio eius: Israël potestas eius.

3 Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.

4 Montes exultauerunt, vt arietes: & colles, sicut agni ouium.

5 Quid est tibi, mare, quod fugisti: & tu, Iordanis, quia conuersus es retrorsum.

6 Montes exultastis, sicut arietes: & colles, sicut agni ouium.

7 A facie Domini mota est terra: à facie Dei Iacob,

8 Qui

8 *Instagna cautes hic Deus algida*
Vertit rigentes, & sitientium
Leniuit ardorem, fluenta
Eliciens ab hiante saxo.

PSALM. CXIV. Hebr. CXV.

1 *NOn nos meremur præmia nobiles*
Victoriarum: Sed Pater optime
Tuum per orbem fama nomen
Præpetibus ferat acta pennis.

2 *Tuæ hunc honorem munificentiæ*
Et veritati confer, ab efferis
Ne gentibus victi rogemur
Vester vbi Deus est? Olympi

3 *Nam noster arces incolit igneas,*
Frenare mundum legibus efficax;
Non vi parata, sed volentis
Arbitrij moderante nutu.

4 *At cæterarum numina gentium*
Argenti & auri sunt opus impium:
Inuenta lymphati furoris,
Barbaricæ labor officinæ.

5 *Stant signa rubris oribus aurea,*
Nictant ocellis æmula viuidis:
Sed nec profari, nec tueri
Ars hominum dedit vlla truncis.

6 *Tornantur aures, sed nihil audiunt,*
Nares forantur quas nec amœnitas
Vernantium oblectat rosarum,
Aut Arabum pia thura mulcent.

7 *Tactura nunquam brachia porrigunt,*
Locoue motis gressibus ambulant:
Non ora pandunt in sonoras
Perpetuum tacitura voces.

8 *Qui spectra fingunt talia barbari,*
Ac inde vanas spes sibi colligunt:
(Contingat hoc tantùm) suorum
Se videant similes Deorum.

9 *Spem gens Abrami numine collocat*
In sempiterno, quo duce prosperas
Pugnas obimus, quo tegente
Arma trucis fugimus duelli.

10 Hunc

8 Qui conuertit petram in stagna aquarũ: & rupem in fontes aquarum.

PSALMVS CXIV. Hebr. CXV.

1 NOn nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

2 Super misericordia tua, & veritate tua: nequando dicant gentes, Vbi est Deus eorum?

3 Deus autem noster in cælo: omnia, quæcunque voluit, fecit.

4 Simulachra gentium argentum, & aurum: opera manuum hominum.

5 Os habent, & nõ loquentur: oculos habent, & non videbunt.

6 Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.

7 Manus habent, & non palpabũt; pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

8 Similis illis fiant, qui faciunt ea: & omnes, qui confidunt in eis.

9 Domus Israel sperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.

10 Domus

10 *Hunc in procellis sperat Aronia*
Proles futurum præsidium sibi:
Casus vt omnes, & frementes
Prætereat sine clade motus.
11 *Hunc qui tremiscunt, tempora nesciant*
Horrere curis tristibus aspera:
Se protegendos namq; parma
A Domini radiante fidunt.
12 *Ille ille nostri non fuit immemor,*
Donis beauit sed Pater omnibus:
13 *Ille Israëlis, ille Aronis*
Progeniem bonus. vsq; fouit.
14 *Idem fouebit quos sibi viderit*
Seruire castis relligionibus:
Siue in iuuenta, siue cani
In niueis senij capillis.
15 *Macte esto quisquis fidis Olympico*
Rerum parenti. Numine gratior
Cresces amico, spes tuorum
Et soboles animosa crescet.
16 *Nos separauit de grege gentium*
Quas ducit error credulus auias;
Rex ille cælum qui solumq;
Egregius fabricauit author.
17 *Stellis micantes irradiantibus*
Orbes dicauit cùm sibi proprios:
Tum gentis humanæ colonis
Frugiferæ dedit arua terræ.
18 *Ne te ergo laudent qui lacrymabili*
Conduntur vrna, quiue silentia
Oblita viuorum sepulti
In gelido reperere busto.
19 *Nos te canemus qui iubar aureæ*
Haurimus æthræ, nec tua seculis
Laus finietur, sed vigebit,
Dum veniunt abeuntq; soles.

10 Domus Aaron sperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.
11 Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.
12 Dñs memor fuit nostri: & benedixit nobis.
13 Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.
14 Benedixit omnibus, qui timent Dominum: pusillis cum maioribus.
15 Adijciet Dominus super vos: super vos, & super filios vestros.
16 Benedicti vos à Domino: qui fecit cælum, & terram.
17 Cælum cæli Domino: terram autem dedit filijs hominum.
18 Non mortui laudabunt te, Domine: neq; omnes, qui descendunt in infernum.
19 Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

PSALM. CXV. Hebr. CXVI.

1 *IMmortale, Parẽs, mihi semper amabere Numen*
2 *Quod placidã querulis aduertis vocibus aurem.*
Et te ritè colam, dum vitam hæc aura fouebit.

3 Iam

PSALMVS CXV. Hebr. CXVI.

1 DIlexi, quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.
2 Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.

3 Circum-

3 *Iam dolor exanimum vicini oppresserat Orci,*
Quaq; ferunt miseris extrema pericula finem,
4 *Hic ego voce Deum votisq; affatus, amicam*
5 *Affer opem Genitor tanto in discrimine dixi.*
Ille autem facilis veniam concedere victis
Annuit, & lethi me tristibus eruit vmbris.
6 *O Dominum patremq; bonum: si vindicat vltor*
Iustus, at effusis humili succurrit habenis.
En ego depositus nunc illo præside viuo:
7 *Quare age funereas mens exue libera curas*
8 *Et donis lætare Dei. Non corporis ægrum*
Deseris hospitium, non fletibus humida semper
Ora lauis: titubas non gressu effusa ruenti.
9 *Dedita sed monitis Domini cælestibus, ibis*
Casta poli viuos qua dirigit orbita ciues.
10 *Cùm trepidas fugerem curas, ego talia mecum*
Voluebam, Non certa fides mortalibus vsquam est,
11 *In media quando fidentem exponit arena.*
12 *Sed memor ætbereos qua laude remetiar haustus,*
Autboremue canam, defensoremq; salutis?
13 *Accipiam calicem, grates altaria circum*
Effundam, tumuli veniam quod ab aggere liber:
Et nomen supplex Domini immortale vocabo.
14 *Cui magno in populo soluam mea vota ferenti*
Non impunè suos crudelem occumbere mortem.
15 *En de stirpe tuæ famulum pater optime seruæ,*
16 *Vincula cui duri soluisti immania ferri.*
Sacra tibi niueis faciam promissa iuuencis,
Prima tuæ merito quamuis erit hostia laudes:
Et nomen pura ter relligione vocatum.
17 *Ergo tibi sanctis voti reus ignibus aras*
Instituam, populo circundatus atria visam,
Et medijs almas Solymorum in montibus arces.

3 Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.
4 Tribulationem, & dolorem inueni: & nomē Domini inuocaui.
5 O Domine, libera animā meam, misericors Dominus & iustus: & Deus noster miseretur.
6 Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sum, & liberauit me.
7 Conuertere, anima mea, in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.
8 Quia eripuit animā meā de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.
9 Placebo Domino: in regione viuorum.
10 Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.
11 Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.
12 Quid retribuam Domino: pro omnibus, quæ retribuit mihi?
13 Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.
14 Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. 15 O Domine, quia ego seruus tuus:
seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. 16 Dirupisti vincula meā, tibi sacrificabo
hostiam laudis: & nomen Domini inuocabo. 17 Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius: in atrijs domus Domini, in medio tui
Ierusalem.

PSALMVS CXVI.
Hebr. CXVII.

1 *LVcifer emenso quas flammeus ambit olympo*
Vestra sit ô gentes dicere cura Deum.
2 *Illius in populum manet indulgentia nostrum,*
Et viget æternum non violanda fides.

PSALMVS CXVII.
Hebr. CXVIII.

1 *TOllite conspicuum nota bonitate Parentem,*
Aeterna cuius permanet clementia.
2 *Gens canat Isacidum toties experta benignum,*
Aeterna durat cuius indulgentia
3 *Est, domus ingeminet custos Aronia templi,*
Interminata Numinis benignitas.
4 *Qui Dominum colitis, nullis age dicite metis*
Bonitas Parentis alma circumscribitur.
5 *Adfuit ille mihi premerent cùm dura, vocanti:*
Et in patentem duxit arui semitam.
6 *Hac stet, & humano coniurent arma tumultu,*
Timebo vanos nil furores omnium.
7 *Afferat auxilium, belli securus & hostis,*
Circumsonantes negligam formidines.
8 *Est mihi cælesti melius confidere regi,*
Vlli virorum quàm salutem credere.
9 *Tutius est Domino rerum committere molem,*
Quàm fluctuanti principum impotentiæ.
10 11 *Finitimæ coëant signa in contraria gentes,*
Sternam fauente solus omnes numine.
12 *Stridula me circum se tanquam examina fundant,*
Flammæ instar illæ sopientur aridas
Vrentis spinas: & nomine Numinis arma
Inimica victis ipse castris exuam.

13 *Vt*

PSALMVS CXVI.
Hebr. CXVII.

1 LAudate Dominũ omnes gentes: laudate eum omnes populi.
2 Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

PSALMVS CXVII.
Hebr. CXVIII.

1 COnfitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculũ misericordia eius.
2 Dicat nunc Israel, quoniam in sæculum misericordia eius.
3 Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sęculum misericordia eius.
4 Dicant nunc, qui timent Dominum: quoniam in sæculũ misericordia eius.
5 De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dñs.
6 Dominus mihi adiutor: non timebo, quid faciet mihi homo.
7 Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.
8 Bonum est confidere in Domino: quam confide-
re in homine.
9 Bonum est sperare in Domino: quam sperare in principibus.
10 Omnes gentes circuierũt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
11 Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
12 Circumdederunt me, sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

13 Impul-

13 *Vt ruerem toto nisu ferus impulit hostis*
Deus at labanti fulcit in vestigia:
Ille mihi robur, mihi laus, trepidæq; salutis
Erit, fuitq; tuta semper anchora.
14 *Ocyus auditas repetent tentoria voces,*
Lætæ piorum nuncias victoriæ:
15 *Scilicet à Domino stratas iacuisse phalangas*
Nos roboratis institisse viribus.
16 *Credite, non moriar, vincam lethi arma superstes*
Deiq; magno facta plausu disseram.
17 *Ille mihi vindex admouit verbera iustus,*
At non acerbo funerauit exitu.
18 *Ostia Iustitiæ diuinæ recludite, grates*
Agam parenti debitas æquissimo.
19 *Hæc est porta Dei diuini conscia iuris,*
Culpa licebit ire qua vacantibus.
20 *Me Pater audisti facilis quòd dura querentem,*
Mea ô salutis ara, te semper canam.
21 *En lapis artificum quem suspiciosa malorum*
In moliendo spreuerat dementia.
In caput erectus quadrauit nobile molis,
Latera vbi iungit bina pulcher angulus.
22 *Hoc Dominus fecit quod lumina detinet Orbis,*
Quod intuendo nosmet obstupescimus.
23 *O concessa dies æterno à Numine! lcti*
Eia ô sodales gaudeamus gaudia.
24 *Nunc serua incolumem, nunc me & mea facta secunda,*
O quem salutis alme legas Nuncium!
25 *Omnia contingant vobis meliora rogamus,*
Templi, & sacrorum nobiles antistites.
Ipse Deus mundum qui iusta infrenat habena,
Propiore lucis igne nos illuminat.
26 *Hunc sacrate diem, deuotaq; cornibus olim*
Vinctis ad aras immoletur hostia.
27 *Nam te voce Deum, te pectore numen habebo,*
Et quicquid ore valeo, te semper canam.

13 Impulsus euersus sum, vt caderem: & Dominus suscepit me.
14 Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.
15 Vox exultationis, & salutis: in tabernaculis iustorum.
16 Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.
17 Non moriar, sed viuam: & narrabo opera Dñi.
18 Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.
19 Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas cõfitebor Domino: hęc porta Domini, iusti intrabũt in eam.
20 Confitebor tibi, quoniã exaudisti me: & factus es mihi in salutem.
21 Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli.
22 A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.
23 Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.
24 O Domine, saluum me
fac; ô Domine, bene prosperare: benedictus, qui venit in nomine Domini.
25 Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.
26 Constituite diem solennẽ in condensis: vsq; ad cornu altaris. 27 Deus
meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu & exaltabo te. 28 Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

29 *Tollite conspicuum nota bonitate Parentem,*
Aeterna cuius permanet clementia.

PSALMVS CXVIII. Hebr. CXIX.

ALEPH.

1 *TEr beati qui Tonantis*
Per vias inambulant.
2 *Sancta qui custodiendo*
Mente versant fœdera.
3 *Non iniqua molientes*
Hanc sequuntur orbitam:
4 *Quam tenere nos seuera*
Iussione præcipis.
5 *In tuæ præcepta legis*
Totus ô si dirigar.
6 *Tristior non erubescam,*
Illa quando fecero.
7 *Te magistrum cordis, artes*
Doctus Aequi, concinam.
8. *Tu tua relinque legis*
Ne sequentem tramites.

BETH.

9 *Salua quo iuuenta viuet?*
Legis obseruantia.
10 *Hanc amica mente quæro,*
Hanc, Pater, ne deseram.
11 *Præcipis quæcunq; condo*
Ne labascam, pectore.
12 *Me tuas magister oro*
Sancte leges edoce.
13 *Quas meo versare corde,*
Ore certo dicere.
14 *Hæc voluptas antecedit*
Omnibus pecunijs.

14 *Ergo*

29 Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniã in sæculum misericordia eius.

PSALMVS CXVIII. *Hebr. CXIX.*

ALEPH.

1 BEati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.
2 Beati, qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.
3 Non enim qui operantur iniquitatem: in vijs eius ambulauerunt.
4 Tu mandasti mandata tua: custodiri nimis.
5 Vtinam dirigantur viæ meæ: ad custodiendas iustificationes tuas.
6 Tunc nõ confundar: cum perspexero in omnibus mandatis tuis.
7 Confitebor tibi in directione cordis: in eo, quod didici iudicia iustitię tuę.
8 Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsquequaque.

BETH.

9 In quo corrigit adolescentior viam suum? in custodiendo sermones tuos.

10 In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis. 11 In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi. 12 Benedictus es, Domine: doce me iustificationes tuas. 13 In labijs meis pronũciaui: omnia iudicia oris tui. 14 In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus diuitijs.

15 In man-

15 *Ergo iussa mirer, Aequi*
Et vias considerem.
16 *Nulla nox diesq; nulla,*
Quæ iubes obliterent.

GIMEL.

17 *Da mihi vitam, tuarum*
Iura legum persequar.
18 *Mira quàm sint, conspicabor*
Si repurgas lumina.
19 *Illa ne peregrinanti*
Aduenæ subtraxeris.
20 *Quæ nimis desiderando,*
Mens anhela deficit.
21 *Execraris insolentes,*
Illi qui fastidiunt.
22 *At colendo ne superbis*
Sim viris ludibrio.
23 *Legibus rident potentes*
Quod tuis obtemperem.
24 *Hæc sed est meæ leuamen*
Cura mentis vnica.

DALETH.

25 *Mens humi prostrata languet,*
Redde verbo sospitem.
26 *Quas sequor vias renarro,*
Me tuas sed edoce.
27 *Semitam reclude veri,*
Mira doctus eloquar.
28 *Liquitur mens ægra, verbo*
Influentem recrea.
29 *Aufer à me fraudis artes,*
Integrum ius exhibe.
30 *Vera sector, te probaui*
Iudicata iudice.

31 Ne

15 In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.
16 In iustificationibus tuis meditabor: nō obliuiscar sermones tuos.

GIMEL.

17 Retribue seruo tuo: viuifica me: & custodiam sermones tuos.
18 Reuela oculos meos: & cōsiderabo mirabilia de lege tua.
19 Incola ego sum in terra: ne abscondas à me mandata tua.
20 Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas: in omni tempore.
21 Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.
22 Aufer à me opprobriū, & contemptum: quia testimonia tua exquisiui.
23 Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.
24 Nam & testimonia tua meditatio mea est: & cōsilium meum iustificationes tuæ.

DALETH.

25 Adhæsit pauimento anima mea: viuifica me secundum verbum tuum.
26 Vias meas enunciaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.
27 Viam iustificationum tuarum instrue me: & exercebor in mirabilibus
tuis. 28 Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.
29 Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei. 30 Viam
veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus.

31 *Ne pudori sit quòd illis*
Dedicatus hæserim.
32 *Hac abibo, si refectò*
Pandis æquor pectori.

HEI.

33 *Me doce legum tuarum*
Quem requiram, tramitem.
34 *Adde menti lumen, acer*
Pacta custos sanciam.
35 *Esto dux, nam pectus ardet,*
Quam probaris Orbitam.
36 *Huc meum cor flecte, auari*
Non in auri copiam.
37 *Conspicer ne vana, torque*
Lumina, ex te pendeam.
38 *Verba coram pone, sanctum*
Quæ timorem suscitent.
39 *Ne probro sim, quando tantùm*
Sancta lex me recreat.
40 *Iussa quæ tam concupiui*
Ipsa me nunc sospitent:

VAV.

41 *Me benignus cerne, verbis*
Et salus respondeat:
42 *Exprobranti namq; dicam,*
Figo spes in Numine.
32 *Veritas ne me relinquat,*
Specto qui te iudicem.
44 *Sed tuam legem capessam*
Seculorum in secula.
45 *Ambulem securus, illa*
Nam volo quæ præcipis.
46 *De tuis, nec me pudebit,*
Ante reges disseram.
47 *Hæc*

31 Adhæsi testimonijs tuis, Domine: noli me confundere.
32 Viam mãdatorum tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum.

HEI.

33 Legem pone mihi, Domine, viam iustificationũ tuarum: & exquiram eam semper.
34 Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.
35 Deduc me in semitam mandatorũ tuorum: quia ipsam volui.
36 Inclina cor meum in testimonia tua: & non in auaritiam.
37 Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.
38 Statue seruo tuo eloquiũ tuum: in timore tuo.
39 Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.
40 Ecce concupiui mandata tua: in æquitate viuifica me.

VAV.

41 Et veniat super me mi-
sericordia tua, Domine: salutare tuum secundũ eloquium tuum. 42 Et re-
spondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speraui in sermonibus tuis.
43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque: quia in iudicijs
tuis supersperaui. 44 Et custodiam legem tuam semper: in sæculum, & in
sæculum sæculi. 45 Et ambulabam in latitudine: quia mãdata tua exquisiui.
46 Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regũ: & non confundebar.

47 Et me-

47 *Hæc voluptas est tuarum*
Scita legum voluere.
48 *Et manus ad actiones*
Ferre iussas legibus.
ZAIN.
49 *Sis memor promissionis:*
Spem fouentis iugiter.
50 *Res & hoc solamen arctas,*
Vnde viuo, sustinet.
51 *Vsq; me premunt superbi,*
Vsq; rectis incubo.
52 *Verso prisca seculorum,*
Do mihi hoc solatium.
53 *Sed tremisco cùm recordor,*
Flagra mentis impiæ.
54 *Sit mihi lex sancta, carmen:*
Hospes hic dum vixero.
55 *Nominis tui per vmbras,*
Et recordor fœderis.
56 *Hæc fatigat vna cura*
Iussa velle persequi.
HETH.
57 *Rex, tibi parere; censu*s
Est mei pars optima.
58 *Oro fac promissa clemens,*
Vera constent exitu.
59 *Vt vias rectas obirem*
Ad tuas me contuli.
60 *Sum paratus, iura seruem*
Vt tuorum fœderum.
61 *Impiorum præpeditus*
Hoc laboro funibus.
62 *Surgo summa nocte, cantem*
Vt tuis te laudibus.

63 Omnium

47 Et meditabor in mandatis tuis: quæ dilexi.
48 Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in iustificationibus tuis.
ZAIN.
49 Memor esto verbi tui seruo tuo: in quo mihi spem dedisti.
50 Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.
51 Superbi iniquè agebant vsquequaque: à lege autem tua non declinaui.
52 Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo, Domine: & consolatus sum.
53 Defectio tenuit me: pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
54 Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ: in loco peregrinationis meæ.
55 Memor fui nocte nominis tui, Domine: & custodiui legem tuam.
56 Hæc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui.
HETH.
57 Portio mea, Domine: dixi custodire legem tuã.
58 Deprecatus sum faciem
tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum. 59 Co-
gitaui vias meas: & conuerti pedes meos in testimonia tua. 60 Paratus
sum, & non sum turbatus: vt custodiam mandata tua. 61 Funes peccato-
rum circumplexi sunt me; & legem tuam non sum oblitus. 62 Media no-
cte surgebam ad confitendum tibi: super iudicia iustificationis tuæ.

63 Parti-

78 *Erubescant insolentes*
Qui tuum vrgent supplicem.
79 *Ast amici me coronent,*
Qui tua & te diligunt.
80 *Cor meum, ne sim pudori,*
Ritè leges expient.

CAPH.

81 *Quæ salutis spe laborat*
Mens, eadem pascitur.
82 *Luminum vis ægra languet*
Spe tui solatij.
83 *Instar vtris in camino*
Aridi te demoror.
84 *Quo feram vis vsq;? diros*
Quando plectes æmulos?
85 *Iura frangunt, & lacunas*
Excauant vt oppetam.
86 *Vera sunt quæcunq; mandas,*
Hoste pulso subleua.
87 *Penè lethum triste vidi.*
Pacta nunquam deserens.
88 *Supplicem tuere, leges*
Vt tuas custodiam.

LAMED.

89 *Quæ creas æterna fient,*
Vt Polus, si iusseris.
90 *Quæq; promittis manebunt*
Terra sicut permanet.
91 *Te volente sol refulget,*
Cuncta parent nutibus.
92 *Lege ni tuâ stetissem*
Iam fuissem mortuus.

93 Eius

78 Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.
79 Conuertantur mihi timentes te: & qui nouerunt testimonia tua.
80 Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis: vt non confundar.

CAPH.

81 Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperaui.
82 Defecerunt oculi mei in eloquiū tuum: dicentes; Quando consolaberis me?
83 Quia factus sum, sicut vter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.
84 Quot sunt dies serui tui: quando facies de persequentibus me iudicium?
85 Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua.
86 Omnia mandata tua veritas: iniquè persecuti sunt me, adiuua me.
87 Paulò minùs cōsummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.
88 Secundum misericordiam tuam viuifica me: & custodiam testimonia oris tui.

LAMED.

89 In æternum, Domine, verbum tuum: permanet in cælo.
90 In generationem, & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet.
91 Ordinatione tua perseuerat dies: quoniam omnia seruiunt tibi.
92 Nisi, quod lex tua meditatio mea est: tunc forte perijssem in humilitate mea.

93 *Eius obliuiscar, vnde*
Viuo, nullo tempore.
94 *Sum tuus, tuere quando*
Instituta factito.
95 *Impij necare quærunt,*
Fretus at te negligo.
96 *Cuncta letho cerno volui,*
Iussa præter Numinis,
MEM.
97 *Sic amo legem, perennes*
Illi vt horas commodem.
98 *Hinc meos hostes futuri*
Vinco prouidentia.
99 *Hanc colendo, me docentes*
Præteriui doctior.
100 *Hanc graues senes amando*
Mente vici prouida.
101 *Semitas fugi malorum,*
Hanc bene vt custodiam.
102 *A tua nil lege flecto,*
Quam magister edoces.
103 *Melle dulci quam palato*
Dulciorem sentio.
104 *Hinc perosus vanitatem*
Execror mendacij.
NVN.
105 *Lex meos diuina gressus*
Vt lucerna dirigit.
106 *Hanc tueri menti fixum*
Hæret immutabili.
107 *Fœderis memor subactum*
Me leua periculis;
108 *Erudi me scita, laudum*
Immolabo victimas.

109 *Quæ*

93 In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: qa in ipsis viuificasti me.
94 Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisiui.
95 Me expectauerunt peccatores, vt perderēt me: testimonia tua intellexi.
96 Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.
MEM.
97 Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est.
98 Super inimicos meos prudentē me fecisti mandato tuo: quia in æternū mihi est.
99 Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.
100 Super senes intellexi: quia mādata tua quæsiui.
101 Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua.
102 A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi.
103 Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo.
104 A mandatis intellexi:
propterea odiui omnem viam iniquitatis. NVN. 105 Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen semitis meis. 106 Iuraui, & statui: custodire iudicia iustitiæ tuæ. 107 Humiliatus sum vsquequaque, Domine: viuifica me secundum verbum tuum. 108 Voluntaria oris mei beneplacitā fac, Domine: & iudicia tua doce me.

109 Anima

109 *Quæ tenebam, dira quamuis*
Imminerent funera.
110 *Nec reliqui, pene captus*
Impiorum vinculis.
111 *Hoc enim meum putaui*
Dulce patrimonium.
112 *Huc feror, ferarq; cæli*
Haurio dum spiritum.

Samech.

113 *Impios odi, tuarum*
Scita legum diligo.
114 *Ara, turris, spesq; verbum*
Est tuum firmissima.
115 *Turba me scelesta linque:*
Pacta quæram Numinis.
116 *Alme verbis adde vires,*
Ne tua spe decidam.
117 *Adiuua seruabor, vsq;*
Persequar quæ iusseris.
118 *Deserentes te maligna*
Mente, iustè deseris.
119 *Quod malos vltor sequaris,*
Diligo quæ præcipis.
120 *Et tremisco cogitando*
Te malorum vindicem.

Hain.

121 *Æqua feci, dede iustum*
Ne calumniantibus.
122 *Iusta fac sanctè capessam*
Ne superbi irrideant.
123 *Dum salutem & scita legum*
Spero, torpent lumina.
124 *Fac tua ô benigne noscam*
Seruus vt mysteria.

125 *Sum*

109 Anima mea in manibus meis semper: & legẽ tuam non sum oblitus.
110 Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erraui.
111 Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternũ: quia exultatio cordis mei sunt.
112 Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum: propter retributionem.

Samech.

113 Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi.
114 Adiutor, & susceptor meus es tu: & in verbum tuum supersperaui.
115 Declinate à me maligni: & scrutabor mandata Dei mei.
116 Suscipe me secundum eloquium tuũ, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea.
117 Adiuua me, & saluus ero: & meditabor in iustificationibus tuis semper.
118 Spreuisti omnes discedẽtes à iudicijs tuis: quia iniusta cogitatio eorum.
119 Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.
120 Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.

Hain.

121 Feci iudicium, & iustitiam: non tradas me calumniantibus me.
122 Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.
123 Oculi mei defecerũt in salutare tuũ: & in eloquiũ iustitiæ tuæ.
124 Fac cum seruo tuo secundum misericordiã tuam: & iustificationes tuas doce me.

125 *Sum tibi seruus, tenere*
Scita da me fœderis.
126 *Tempus est iam legis hostes*
Sacrosanctæ persequi.
127 *Antepono quam talentis*
Mille quam Topaziis.
128 *Hanc amo viam, nefandæ*
Orsa fraudis exequor.

PHE.

129 *Mira sancis, quæ volutat*
Mens amando sedula.
130 *Porta verborum tuorum*
Inscientem illuminat.
131 *Ore biante iussa viuus*
Aërem ceu ebibo.
132 *Vt tui soles amantes*
Me misertus adspice.
133 *Te docente pes regatur*
Ne mihi fraus imperet.
134 *Pelle fraudes, iusta pacti*
Vt tui custodiam.
135 *Funde lumen, doctor almæ*
Scita pande regulæ.
136 *Lacrymis humector, ipsam*
Cùm relinquunt improbi.

TSADE.

137 *Iustus ipse iusta rector*
Semper alme iudicas.
138 *Scita condis sempiterna*
Veritatis conscia.
139 *Aestuo quod illa nequam*
Immemor gens spreuerit.
140 *Cor tuus sermo perurit*
Quem medullis ardeo.

141 *Sum*

125 Seruus tuus sum ego: da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.
126 Tempus faciendi, Domine: dissipauerunt legem tuam.
127 Ideo dilexi mandata tua: super aurum, & topazion.
128 Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

PHE.

129 Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.
130 Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.
131 Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.
132 Aspice in me, & miserere mei: secundum iudicium diligentium nomen tuum.
133 Gressus meos dirige secundum eloquium tuũ: & non dominetur mei omnis iniustitia.
134 Redime me à calũnijs hominum: vt custodiam mandata tua.
135 Faciem tuam illumina
super seruũ tuum: & doce me iustificationes tuas. 136 Exitus aquarum de-
duxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam. TSADE.
137 Iustus es, Domine: & rectum iudicium tuum. 138 Mandasti iustitiam
testimonia tua: & veritatem tuam nimis. 139 Tabescere me fecit zelus
meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei. 140 Ignitum eloquium tuum
vehementer: & seruus tuus dilexit illud.

141 Ado-

141 *Sum puer, sum spretus, at non*
Legis est obliuio.
142 *Stat tua aequitas, manebit*
Fixa lex & veritas.
143 *In laboribus fuerunt*
Quae mihi solatio.
144 *Aequa da callere iussa,*
Tunc dabis me viuere.

COPH.

145 *Corde te vocante quaero,*
Iussa, noscam, flagito
146 *Sospita rex alme, leges*
Vt tuas custodiam.
147 *Lumen ante solis, Oro*
Te mei fiduciam.
148 *Excitatus ante lucem*
Voluo leges aureas.
149 *Me bonus clementer audi,*
Vt solebas sospita.
150 *Appropinquant legis hostes*
Me perosi iniuria.
151 *Huc ades qui iussa mundo*
Vera ponis arbiter:
152 *Iamq; pridem firma, nullis*
Eruenda seculis.

RES.

153 *Cerne fractum me, colentem*
Scita legis vindica.
154 *Arbiter defende causam*
Diligentis foedera.
155 *Vita deserat scelestos,*
Aequa sicut deserunt.
156 *Obsequentem sed benignè,*
Vt solebas libera.

157 Multus

141 Adolescentulus sum ego, & contemptus: iustificationes tuas nō sum oblitus.
142 Iustitia tua, iustitia in aeternum: & lex tua veritas.
143 Tribulatio, & angustiae inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est.
144 Aequitas testimonia tua in aeternum: intellectum da mihi, & viuam.

COPH.

145 Clamaui in toto corde meo; Exaudi me, Domine: iustificationes tuas requiram.
146 Clamaui ad te; saluum me fac: vt custodiā mandata tua.
147 Praeueni in maturitate, & clamaui: quia in verba tua supersperaui.
148 Praeuenerunt oculi mei ad te diluculo: vt meditarer eloquia tua.
149 Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine: & secundum iudicium tuum viuifica me.
150 Appropinquauerūt persequentes me iniquitati: à lege autem tua longe
facti sunt. 151 Prope es tu, Domine: & omnes viae tuae veritas. 152 Initio
cognoui de testimonijs tuis: quia in ęternū fundasti ea. RES. 153 Vide
humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam nō sum oblitus. 154 Iu-
dice iudicium meum, & redime me: propter eloquium tuum viuifica me.
155 Longe à peccatoribus salus: quia iustificationes tuas non exquisierunt.
156 Misericordiae tuae multae, Domine: secūdum iudicium tuum viuifica me.

157 *Multus hostis me fatigat*
Pacta sed non eiero.
158 *Illa flammat pectus ira,*
Quod scelesti negligant.
159 *Cerne me iussa vt capesso,*
Et benignè sospita.
160 *Vera promittis futuris*
Veriora seculis.

SCIN.

161 *Principes me persequuntur,*
Sto sed almis legibus.
162 *In tuis applaudo verbis,*
Ceu talenta qui inuenit.
163 *Fraudis odi vanitatem;*
Legis æqua diligo
164 *Septies die, scientem*
Laudo te ius dicere.
165 *Multa pax, errore nullo*
Est tibi parentibus.
166 *Spe tuæ salutis, almæ*
Scita legis diligo.
167 *Illa mens custodit, illa*
Cor volens amplectitur.
168 *Hinc meas amicus omnes*
Intueris semitas.

THAV.

169 *Edoce legum tuarum*
Me precantem fœdera.
170 *Supplicantem flagitata*
Iussa propter eripe.
171 *Te magistrum prompta magnis*
Laudibus vox concinet.
172 *Lingua dicet imperata*
Esse quàm iustissima.

173 *Dent*

157 Multi qui persequuntur me, & tribulant me: à testimonijs tuis non declinaui.
158 Vidi præuaricantes, & tabescebã: quia eloquia tua non custodierunt.
159 Vide, quoniam mandata tua dilexi, Domine: in misericordia tua viuifica me.
160 Principium verborum tuorum, veritas: in æternum omnia iudicia institiæ tuæ.

SCIN.

161 Principes ꝑsecuti sunt me gratis: & à verbis tuis formidauit cor meum.
162 Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spolia multa.
163 Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem auté tuam dilexi.
164 Septies in die laudem dixi tibi: super iudicia iustitiæ tuæ.
165 Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.
166 Expectabam salutare tuum, Domine: & mandata tua dilexi.
167 Custodiuit anima mea
testimonia tua: & dilexit ea vehementer. 168 Seruaui mandata tua, & te-
stimonia tua: quia omnes viæ meæ in cõspectu tuo. THAV. 169 Appro-
pinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Dñe: iuxta eloquiũ tuum da mihi
intellectũ. 170 Intret postulatio mea in cõspectu tuo: secundũ eloquiũ tuũ
eripe me. 171 Eructabũt labia mea hymnũ: cũ docueris me iustificationes
tuas. 172 Pronũciabit lingua mea eloquiũ tuũ: quia oĩa mãdata tua æqtas.

173 Fiat

173 *Dent tuæ manus salutem*
Approbanti fœdera.
174 *Te salutem poscit, vrens*
Mens tuis se legibus.
175 *Viuat, & te prædicabit*
Fulta pacti viribus.
176 *Vt pecus vagum require, haud*
Legis oblitum tuæ.

PSALMVS CXIX.
Hebr. CXX.

1 *AEfferret ægræ cùm timor anxias*
Menti inquietus sollicitudines:
De more castis audientem
Me precibus Dominum vocaui.
2 *Regnator, inquam, falsa loquentibus,*
Ne me labellis afflet iniquitas.
Ne stillet, oro, viperina
Tabificum mihi lingua virus.
3 *Quid nam illa fraudum proferet artifex*
4 *Addetue? Parthi nempe volatiles*
Mittet sagittas, & voracem
Matericm sitientis ignem.
5 *Heu me incolentem tempora inhospitas*
Iam longa rupes; Gens Arabum diu
Tentoriorum me sub atris
Detinuit peregrina velis.
6 *Cùm pacis almæ scilicet hostibus,*
Grati loquebar fœderis ocia:
At sæuiebant me videntes
Auriferæ meminisse pacis.

PSALMVS CXX.
Hebr. CXXI.

1 *CIrcumferebam tristia lumina,*
Deserta mœstus per iuga montium;
Si forte quisquam rebus arctis
Præsidium sociale ferret.

2 *Sp*

173 Fiat manus tua, vt saluet me: quoniam mandata tua elegi.
174 Cócupiui salutare tuũ, Domine: & lex tua meditatio mea est.
175 Viuet anima mea, & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.
176 Erraui, sicut ouis, quæ perijt: quære seruũ tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

PSALMVS CXIX.
Hebr. CXX.

1 AD Dominũ, cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me.
2 Domine libera animam meam à labijs iniquis: & a lingua dolosa.
3 Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam.
4 Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatorijs.
5 Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.
6 Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

PSALMVS CXX.
Hebr. CXXI.

1 LEuaui oculos meos in montes; vnde veniet auxilium mihi.

2 Auxi-

2 *Spes vlla certæ non opis affuit,*
Nam quis tulisset? sed mihi Conditor
Terræ poliq; deprecanti
Auxilium feret in periclis.
3 *O mens timori pallida frigido*
Ne cede, gressus fulciet optimus
Custos bonorum qui soporem
Non vigili statione mutat.
4 *Non singulari perspicientia*
Qui res piorum seruat, inertia
Somnoq; dedet se, procellæ
Res inopum quatientis Euri.
5 *Confide pennis quippe salutifer*
Te condit almis: te regit inuia
Per saxa, dextra te prehensum
Per nemorum comitatur vmbras.
6 *Non æstuosi te calor ætheris*
Quo sol adurit cætera torridus
Adflasset, in noctemue lunæ
Tabificus nocuisset humor.
7 *Infesta nigro quæ mala permeant*
Terras volatu, ne tibi noxia
Curabit adsint vt quietus
Incolumi potiare vita.
8 *In bella vadas siue minacia*
Petasue gesta re bene patriam,
Custode semper hos obibis
Aetbereo Domino labores.

PSAL CXXI. Hebr. CXXII.

1 *O Plena magni nuncia gaudij,*
Tam grata læto quæ mihi nunciant!
Nobis eundum nempe sanctos
In Domini memorant penates.
2 *Ergo coronis ibimus, ibimus*
Velati in vrbem, iam ped&gestio pede
Felice portas, iam sacratum
Ad Solymas tetigisse limen.
3 *O vrbs domorum quam memorabilis*
Structura laudat: quam reliquæ petunt
Vrbes, auitis vt Tonanti
Imperijs sua vota soluant.

4 *Nostri*

2 Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum, & terram.
3 Non det in commotionem pedem tuum: neq; dormitet, qui custodit te.
4 Ecce non dormitabit, neque dormiet: qui custodit Israël.
5 Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.
6 Per diem sol non vret te: neque luna per noctem.
7 Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.
8 Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

PSALMVS CXXI.
Hebr. CXXII.

1 LAetatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.
2 Stantes erant pedes nostri: in atrijs tuis Ierusalem.
3 Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.

4 Illuc

4 *Nostri huc propago sanguinis aduolat,*
Non illa prisci fœderis immemor:
Dei verendum vt nomen hymnis
Et positis veneretur aris.
5 *Hic est Dauidis regia Principis,*
Hic est senatus curia nobilis,
Sancta vnde patres iura possint
In dubijs aperire causis.
6 *Vrbi secundæ munera regiæ*
Optate pacis: largaq; faustitas
Illos coronet, qui precantur
Aethereum Solymæ fauorem.
7 *Sis læta gratis dicite vocibus,*
Te pax quietis mœnibus incolat:
Et ciuium rumpat tuorum
Messis humo pariente cellas.
8 *Materna propter pignora comprecor,*
Et iuncta nodo fœderis oppida:
Concedat vltro pax amica
Vt teneat Solymæa tecta.
9 *Templiq; propter diua sacraria*
Latè imperantis conscia Numinis
Vrbs alma flore, nec tumultus
Aut trepidos patiare casus.

PSAL CXXII. Hebr. CXXIII.

1 *AD te parentem lumina sustuli,*
Rerum procellæ dum graue detonant:
Qui cuncta frenis ex Olympi
Verticibus radiantis vrges.
2 *Nutus heriles seruus vt aspicit,*
Promptus minister iussa capessere:
3 *Ancilla vultus annuentis*
Vt Dominæ placitura seruat.
Sic intuentur lumina principem
Te sancte nostrum, donec amabili,
Oblitus irarum iacentes
Nos videas miseratus ore.
4 *O parce nostris alme piaculis,*
Tandemq; lenis porrige dexteram:
Iam vita longum nostra mœret,
Dedecoris satiata potu.

5 *Oppro-*

4 Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimoniũ Israel: ad confitendum nomini Domini.
5 Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.
6 Rogate, quæ ad pacem sunt Ierusalem: & abundantia diligentibus te.
7 Fiat pax in virtute tua: & & abundantia in turribus tuis.
8 Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.
9 Propter domum Domini Dei nostri: quæsiui bona tibi.

PSALMVS CXXII.
Hebr. CXXIII.

1 AD te leuaui oculos meos: qui habitas in cœlis.
2 Ecce sicut oculi seruorum: in manibus dominorum suorum.
3 Sicut oculi ancillę in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.
4 Miserere nostri, Domine, miserere nostri: qa multum repleti sumus despectione.

5 Quia

5 *Opprobrium plena capacitas*
Iam mentis, haustos despicientiæ
Succos refundit, nec superbæ
Sæuitiæ recipit tumorem.

PSALMVS CXXIII. Hebr. CXXIV.

1 *Nisi adsuisset Numen Olympicum*
(Dicant nepotes nobilis Isaci)
Nisi adfuisset qui gubernat
Vnanimi ratione mundum:
2 *Gens belluinis effera moribus,*
Pugnare magnis viribus efficax:
Nos fortè viuos, & calentes
Viperea tumulasset aluo.
3 *Tunc ira mentis prodiga barbaræ*
Soluens furori vincula forsitan
Nos instar vndæ deuolutos
Aequoreo rapuisset æstu.
4 *Torrentis instar quem super imbribus*
Attollit Auster nubilus alueum
Creuisset amnis, quem vadari
Non animæ sine morte possent.
5 *Sit sospitali gloria numini*
Quo dante sæuos fugimus impetus:
Nec barbarorum membra dentes
Lethifero tetigere morsu.
6 *Crudelitatis retia fugimus*
Ales dolosum ceu fugit aucupem:
Raptisq; nodis euolauit
Gens aliam subitura sortem.
7 *Almi salutem Principis attulit*
Hanc vmbra, cuius nomine nitimur:
Telluris orbem qui creauit,
Et superæ regionis Oras.

PSALMVS CXXIV. Hebr. CXXV.

1 *Qvi Deo fidunt imitantur arces,*
Quæ suis fundant humeris Sionem:
Nec timent septem fera cùm lacessunt
Bella Triones.

2 *Ardua*

5 Quia multùm repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

PSALMVS CXXIII. Hebr. CXXIV.

1 Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quia Dominus erat in nobis.
2 Cum exurgerent homines in nos: forte viuens deglutissent nos.
3 Cum irasceretur furor eorum in nos: forsitan aqua absorbuisset nos.
4 Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.
5 Benedictus Dominus, qui non dedit nos: in captionem dentibus eorum.
6 Anima nostra erepta est: de laqueo venantium.
7 Laqueus contritus est: & nos liberati sumus.
8 Adiutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit cælum, & terram.

PSALMVS CXXIV. Hebr. CXXV.

1 Qvi confidunt in Domino, sicut mõs Sion non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

2 Mon-

2 *Ardua æternum grauitas iugorum,*
Inclytæ, muros Solymæ coronant:
At Deus lectos sine clade in æuum
Seruat amicos.
3 *Non enim Sceptrum patietur hostis,*
Gentis in sortem melioris ire:
Fracta ne damnis scelerum malignas
Occupet artes.
4 *Da Parens castis bona liberalis,*
At super notos animo rebelles
Instar affusi mala deferantur
Aspera nimbi.
5 *Aduolet sacram tua pax in vrbem*
Regiam lectæ sobolis, quietum
Tempus aspiret posita cruenti
Cuspide belli.

2 Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.
3 Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.
4 Benefac, Domine, bonis: & rectis corde.
5 Declinãtes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israël.

PSAL. CXXV. Hebr. CXXVI.

1 *CVm Deus Assyria captam Babylone Sionem,*
In patriꝗ iussit tecta redire soli:
His similes fuimus noctis quos somnia ludunt,
Gaudia qui nunquam vera futura, vident.
2 *Cùm tamen id fieret mutato risimus ore,*
Et cursum lacrymis impediere genæ.
Nemo Deo meritas non grates lætus agebat,
Quod patriam exulibus restituisset humum.
3 *Nec minus indigenæ gratùm fremuere, loquentes*
En Deus vt profugos respicit ille suos.
4 *Sic est, tanta Parens nobis hæc gaudia fecit,*
Lætaq; siccatis fletibus ora dedit.
5 *O age captiuum sic redde penatibus agmen,*
Auget vt hybernas fluminis Auster aquas.
6 7 *Nam veluti glebis vndam sitientibus expes,*
Semina cum lacrymis mandat arator humo:
Sed simul ac segetes torpentes euocat imber,
Farra metenda mihi grandia lætus ait.
8 *Sic post exiliꝗ tam tristia tædia longi,*
Ad Patriꝗ reduces mittimur arua Soli.

PSALMVS CXXV. Hebr. CXXVI.

1 IN conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati.
2 Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.
3 Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis.
4 Magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.
5 Cõuerte Domine, captiuitatem nostram: sicut torrens in austro.
6 Qui seminant in lacrymis: in exultatione metent.

7 Euntes ibant, & flebant: mittentes semina sua. 8 Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

PSALMVS CXXVI.
Hebr. CXXVII.

1 *CEpta molitur nisi tecta Numen,*
Quisquis infelix opus incohoasti:
Cautus insanæ meditare curas
Ponere mentis.

2 *Ni Deus seruat miseratus vrbem;*
Noctis incassum vigilat per vmbras,
Qui super notas spatiatur acri
Lumine turres

3 *Mane si lucem prior ante surgas,*
In tuas sero rediturus ædes,
Ni laborantem Dominus leuarit.
Vana laboras.

Nec tibi victum misero parabis,
Nec famem tectis remouebis atram:
Semper in tristi positus quereris
Aspera luctu.

4 *At suis mittet placidum soporem;*
Interim plenos satiabit agros:
Liberûm claro faciet penates
Semine lætos.

5 *Vt manum læues decorant sagittæ*
Militis prompto iaculantis arcu:
Sic honoratum soboles honestat
Mascula patrem.

6 *Talibus felix iaculis pharetram.*
Quisquis implebit: rubor ora turpis
Non linet illi generosa causam
Dicere iusso.

PSALMVS CXXVII.
Hebr. CXXVIII.

1 *O Te beatum qui times Dominum, vias*
Eiusq; purus ambulas.

2 *Tuæ frueris dexteræ laboribus*
Curis solutus asperis.

3 *Grauida racemis vxor vt vitis domum,*
Reddet pudica nobilem.

4 *Mensamq; cingent liberi, ceu consitæ*
Agris oliuæ pinguibus.

5 *Virum*

PSALMVS CXXVI.
Hebr. CXXVII.

1 NIsi Dominus ædificauerit domum: in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

2 Nisi Dominus custodierit ciuitatem: frustra vigilat, qui custodit eam.

3 Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

4 Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris.

5 Sicut sagittę in manu potentis: ita filij excussorum.

6 Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

PSALMVS CXXVII.
Hebr. CXXVIII.

1 BEati omnes, qui timẽt Dominum: qui ambulant in vijs eius.

2 Labores manuum tuarũ, quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

3 Vxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

4 Filij tui, sicut nouellæ oliuarum: in circuitu mensæ tuæ.

5 Ecce

5 *Virum fouebit alma sis felicitas*
Legem colentem Numinis.
6 *Beet ex Sione te Deus, Solymæ velit*
Felicis esse compotem,
Dum vita lumen aëris spirabile
Meantis hic donauerit.
7 *Videasq; natos liberûm superstites*
Alente pace Abramidas.

PSALMVS CXXVIII. Hebr. CXXIX.

1 *Dixerat Isacidum verum genus, impia turba*
Primo lacessit me iuuentæ à limine.
2 *Intulit arma pijs à primo flore iuuentæ,*
Semperq; voto pugna cessit irrito.
3 *Imposuere graues dorso gens improba moles,*
Altis ararunt terga sulcis verberum.
4 *At Pater omnipotens funes, & ahenea soluet*
Quæ grex malorum fecit atrox vincula.
Confusi trepident, vertant formidine terga,
Animo est Sioni quisquis impacabili.
5 *Gramina ventosis referant orientia tectis,*
Iam tempus ante falcis vsta solibus.
6 *Vnde nec impleuit dextram qui stringit aristas,*
Sinumue, messor qui maniplos alligat.
7 *Quin etiam tali bene verba precantia messi*
Non dicat illa quæ viator assolet.

PSALMVS CXXIX. Hebr. CXXX.

1 *Clamaui ex animi Genitor penetralibus alme,*
Audi è profundis inuocantem fluctibus.
2 *Aure bonus facili cape lamentabile carmen,*
Precibus benignus luctuosis annue.
3 *Omnia si memori malefacta in pectore seruas,*
Tuæ quis iræ sustinebit impetum?

4 *Est*

5 Ecce sic benedicetur ho-
mo: qui timet Dominú.
6 Benedicat tibi Dominus
ex Sion: vt videas bona
Ierusalem omnibus die-
bus vitæ tuæ.
7 Vt videas filios filiorũ tuo
rum: pacem super Israel.

PSALMVS CXXVIII. Hebr. CXXIX.

1 Saepe expugnauerunt
me à iuuentute mea:
dicat nunc Israel.
2 Sępe expugnauerunt me
à iuuentute mea: etenim
non potuerunt mihi.
3 Supra dorsum meum fa-
bricauerunt peccatores:
prolongauerunt iniqui-
tatem suam.
4 Dominus iustus concidit
ceruices peccatorũ: con-
fundantur, & conuertan-
tur retrorsum omnes, qui
oderunt Sion.
5 Fiant sicut fœnum tecto-
rum: quod priusquam e-
uellatur, exaruit.
6 De quo non impleuit ma-
num suam, qui metet: &
sinum suum, qui manipu-
los colligit.
7 Et nõ dixerunt, qui præ-
teribunt; Benedictio Do-
mini super vos: benedixi-
mus vobis in nomĩe Dñi.

PSALMVS CXXIX. Hebr. CXXX.

1 De profundis clamaui ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam,
2 Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ. 3 Si ini-
quitates obseruaueris Domine: Domine, quis sustinebit?

4 *Est tibi quod speret rea mens prece flectere Numē:*
Vt sis timori, iura das mortalibus.
5 *Dicam equidem, recreant tua me promissa morantem,*
Animaq; voti certa sperat exitum.
6 *Non ita qui noctem vigilat iubar optat eoum,*
Vt te manemus. Ergo te sperent pij
7 *Cuius adest hominum generi exorabile numen,*
Facileq; nodos seruitutis rumpere,
8 *Isacidas redimes fracto, qui detinet, hoste;*
Animiq; solues obligati debita.

PSALMVS CXXX. Hebr. CXXXI.

1 *SI ventosa leues aluit iactantia fastus,*
Elatos oculos si per inane tuli.
2 *Ardua si petij maioraq; viribus opto,*
Aut reputo meritis quæq; minora meis:
3 *Pro lætis veniant, non deprecor, aspera rebus*
Pœnaq; sit tumidæ mentis habere nihil.
4 *Vt puer in matrem depulsus ab vbere tendit,*
Spes mea sic Dominum te petit vna suum.
5 *Hunc sperate pij nunc, & quæcunq; futura*
Secula venturæ posteritatis erunt.

PSALMVS CXXXI. Hebr. CXXXII.

1 *DAuidem Genitor qui sit, reminiscere, promptum*
Scilicet in duris tua iussa capessere rebus.
2 *Isacidum Domino votis se talibus olim*
3 *Obstrinxit, non ante domum, lectumq; subibo*
4 *Rosida tranquillo declinem vt lumina somno:*
5 *Quam sedem inueniā sancti in fundamina templi,*
Iacobiq; Deo mansura sacraria ponam.
6 Euphra-

4 Quia apud te propitia-
tio est: & propter legem
tuam sustinui te, Domi-
ne.
5 Sustinuit anima mea in
verbo eius: sperauit ani-
ma mea in Domino.
6 A custodia matutina vs-
que ad noctem: speret
Israel in Domino.
7 Quia apud Dominum
misericordia: & copiosa
apud eum redemptio.
8 Et ipse redimet Israel:
ex omnibus iniquitatibus
eius.

PSALMVS CXXX. Hebr. CXXXI.

1 DOmine, non est exal-
tatum cor meum: ne-
que elati sunt oculi mei.
2 Neque ambulaui in ma-
gnis: neque in mirabili-
bus super me.
3 Si non humiliter sentie-
bam: sed exaltaui animā
meam.
4 Sicut ablactatus est super
matre sua: ita retributio
in anima mea.
5 Speret Israel in Domino:
ex hoc nunc, & vsque in
sæculum.

PSALMVS CXXXI. Hebr. CXXXII.

1 MEmento, Domine, Dauid: & omnis mansuetudinis eius. 2 Sicut
iurauit Domino: votum vouit Deo Iacob. 3 Si introiero in taber-
naculum domus meæ: si ascendero in lectum strati mei. 4 Si dedero som-
num oculis meis: & palpebris meis dormitationem. 5 Et requiem tempo-
ribus meis: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.
6 Ecce

6 *Euphrataea vagus dum fortè cacumina lustro,*
Et nemorum saltus, accepi ex aethere signum
Vnde Pater noui vellet quo in vertice templum.
7 *Ibimus illius nunc in tentoria laeti*
Quemq; locum pedibus tetigit libabimus ore.
8 *At deuota parens vltro tibi limina rise,*
Et tecum sacris arcam penetralibus infer.
9 *Casta mente litans ineat tua templa sacerdos,*
Laetitiaq; fremant gens sancta altaria circum.
10 *Me propter stabili te relligione colentem*
Christi prima tui ne despice vota seuerus.
11 *Tu mihi iurasti quae non dabis irrita solui*
Scilicet è nostro sessurum sanguine regem
12 *Abramidum solio. Quod si mea iura nepotes*
Seruarint, inquis, monstrataq; foedera discent
13 *Posteritas regni imperium, soliumq; tenebit:*
Irrequieta vagae dum vertitur Orbita flammae.
14 *Quippe mihi elegi fundatam in rupe Sionem,*
15 *Quam requiem sedemq; fluit dum tempus habebo.*
16 *Prodigus hinc inopum turbis alimenta refundam,*
Et grauidis laetos augebo frugibus agros,
17 *Ipse sacerdotes comitabo salutifer aras*
Vsq; meas, populoq; dabo gaudere quieto.
18 *Hinc: ergo Dauidicis stirpem è radicibus altam,*
Iam laetos iubeo circum diffundere ramos.
Immittetq; mei iubar indelebile Christi,
Ardentes radios, quorum fulgore micabit
Quicquid ab occasu solis se extendit in ortum.
19 *At maculis tingam quoscunq; rubentibus hostes;*
Illius imperio duros submittere collum,
Aeternum volui quem mundo imponere regem.

PSAL-

6 Ecce audiuimus eam in
Ephrata: inuenimus eam
in campis siluae.
7 Introibimus in tabernaculum
eius: adorabimus
in loco, vbi steterunt pedes
eius.
8 Surge, Domine, in requiē
tuam: tu, & arca sanctificationis
tuae.
9 Sacerdotes tui induantur
iustitiam: & sancti tui exultent.
10 Propter Dauid seruum
tuum: nō auertas faciem
Christi tui.
11 Iurauit Dominus Dauid
veritatem, & non frustrabitur
eam: de fructu ventris
tui ponam super sedem
tuam.
12 Si custodierint filij tui
testamentum meum: &
testimonia mea haec, quae
docebo eos.
13 Et filij eorum vsque in
saeculum: sedebunt super
sedem tuam.
14 Quoniam elegit Dominus
Sion: elegit eam in
habitationem sibi.
15 Haec requies mea in saeculum
saeculi: hic habitabo,
quoniam elegi eam.
16 Viduam eius benedicens
benedicam: pauperes eius saturabo panibus.
17 Sacerdotes eius induam salutari: & sancti eius exultatione exultabunt.
18 Illuc producam cornu Dauid: paraui lucernam Christo meo.
19 Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

PSAL-

PSALMVS CXXXII.
Hebr. CXXXIII.

1 *Nil se legitimò fratrum componat amori:*
Nil certet almæ pectorum concordiæ.
2 *Non tam grata suis distillant balsama guttis,*
Linunt Aronis quæ sacrati verticem.
Canaq; diffusis per menta liquoribus vndant,
3 *Oram niualis influentem Carbasi*
Nec tam delectat ros matutinus in herba,
Hermonis, alto vel Sionis in iugo.
4 *Vnanimes Domini iuuat immetata penates*
Augetq; lætis rebus indulgentia.
Natos natorum quiq; exorientur ab illis,
Felice vitæ mandat vt cursu fluant.

PSALMVS CXXXIII.
Hebr. CXXXIV.

1 *Vos quibus sacri data cura templi,*
Numinis magni vigiles ministri:
Ore diuinas age ritè læto
Dicite laudes.
2 *Qui Dei arcanum penetrale circum*
Atrij ad sanctos vigilatis ignes;
3 *Arduis postquam cecidere longæ*
Montibus vmbræ.
Versus æterni monumenta pacti,
Supplices castè duplicate palmas:
Et Deo laudes patrias auito
Dicite ritu.
4 *Lætus hac laudum vice noster Orbem*
Qui poli & terræ fabricauit author,
Sion *O Sion rerum tibi larga diues*
Dona rependet.

PSALMVS CXXXIV.
Hebr. CXXXV.

1. 2 *Vos nomen laudate Dei quibus atria templi*
Et curare datum sacris altaribus ignes.
3 *Vos Dominum laudate bonum, vos nomen in astra*
Ferte, quod ætherea dictum dulcedine mulcet.
4 *Ille*

PSALMVS CXXXII.
Hebr. CXXXIII.

1 Ecce, quam bonum, & quam iucundum: habitare fratres in vnum.
2 Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam: barbam Aaron.
3 Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.
4 Quoniam illic mandauit Dominus benedictionē: & vitam vsq; in sæculum.

PSALM. CXXXIII.
Hebr. CXXXIV.

1 Ecce nunc benedicite Dominū: omnes serui Domini.
2 Qui statis in domo Dñi: in atrijs dom⁹ Dei nostri.
3 In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum.
4 Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cælum, & terram.

PSALM. CXXXIV.
Hebr. CXXXV.

1 Laudate nomen Domini: laudate serui Dominum.
2 Qui statis in domo Domini: in atrijs domus Dei nostri.
3 Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomē eius, quoniā suaue.
4 Quo-

4 Ille sibi voluit Iacobi è stirpe minores.
Et tanquam patrij possedit prædia iuris.
5 Noui equidem noui, quàm maiestate verendum
Numen habet, quantumq; Deos super eminet omnes.
6 Quæ placuit fecisse, suo facit omnia nutu.
Siue polum, terrasq; colant, siue æquora ponti,
Siue lacus habitent vicinaq; manibus antra.
7 Nubila de terræ cogit penetralibus imæ,
Fulmina venturæ præmittit nuncia lymphæ:
8 Secretas aperit ventorum flatibus arces.
Regna quid enumerem Pharij percussa tyranni?
Cæsa Paretonijs quid pignora prima colonis?
Quid pecudum strages, humanaq; funera dicam?
9 Te Pharos ostentis pauidam cælestibus idem
Cumq; suis timidum Pharaona clientibus egit.
10 Tot gentes domuit, tot reges misit in Orcum.
11 Stirpis Amorrhææ Dominum Sehona peremit,
Bassanis etiam regnantem in montibus Ogum.
Diruit inuisam sacro Cananitida bello,
12 Iacobiq; dedit promissa nepotibus arua.
13 O factis æquale tuis, ó postera nomen
Quod nunquam soboles, ætasue oblita silebit?
14 Alme tuum populum magna pietate fouebis.
Sponteq; supplicibus, quoties orabere, parces.
15 O gentes simulacra Deum quæ fingitis, aurum
Argentum, rupesq; manent, hominumq; labores.
16 Vocis egens os semper hiat, stant lumina solem
Nescia vel rerum claros sentire colores:
17 Pulsanturq; cauæ frustra tinnitibus aures.
Nam quid agent cautes vacuæ spirabilis auræ?
18 Talis erat quisquis sibi talia numina fingit,
Credulus vnde suis sperat lenimina rebus.

19 Al

4 Quoniam Iacob elegit sibi Dominus: Israel in possessionem sibi.

5 Quia ego cognoui, quod magnus est Dominus; & Deus noster præ omnibus dijs.

6 Omnia, quæcunque voluit, Dominus: fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.

7 Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluuiam fecit.

8 Qui producit ventos de thesauris suis: qui percussit primogenita Aegypti ab homine vsque ad pecus.

9 Et misit signa, & prodigia in medio tui, Aegypte: in Pharaonem, & in omnes seruos eius.

10 Qui percussit gentes multas: & occidit reges fortes.

11 Sehon regē Amorrhæorum, & Og regem Basan: & omnia regna Chanaan.

12 Et dedit terram eorum hæreditatem: hæreditatem Israel populo suo.

13 Domine, nomē tuum in æternum: Domine, memoriale tuum in genera-
tionem, & generationem. 14 Quia iudicabit Dominus populum suum: &
in seruis suis deprecabitur. 15 Simulachra gentium argentum, & aurum:
opera manuum hominum. 16 Os habent, & non loquentur: oculos ha-
bent, & non videbunt. 17 Aures habent, & non audient: neque enim est
spiritus in ore ipsorum. 18 Similis illis fiant, qui faciunt ea: & omnes, qui
confidunt in eis.

19 *At domus à magno Iacobo exorta, vetustum*
20 *Aronis leuiq; genus celebrate Parentem,*
Vosq; Deum pura qui relligione timetis.
21 *Ille sit æterno rerum modulamine no'us*
Qui Solymas, vrbisq; tenet tecta alta Sionis.

PSALMVS CXXXV.
Hebr. CXXXVI.

1 *EIa Deum laudate bonum, & placabile numen,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
2 *Eia Deum laudate, Deos qui præterit omnes*
Aeterna durat cuius indulgentia.
3 *Hic Dominus dominos rerum super eminet omnes*
Aeterna durat cuius indulgentia.
4 *Admiranda facit rerum spectacula solus,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
5 *Hic prudens opifex fecit reuolubile cælum,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
7 *His superi in campis fixit duo lumina mundi,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
8 *Hic soli in lucem rostras concessit habenas,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
9 *Hic lunam in tenebris & sidera fulgere iussit,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
10 *Primitias Generis Pharia tumulauit in ora,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
11 *E medio sobolem Iacobi sustulit hoste,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
12 *E medio inuicti vi roboris abstulit hoste,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
13 *Attonitum rubræ quondam mare diffidit vnda,*
Aeterna durat cuius indulgentia.

14 Isaci-

19 Domus Israel, benedicite Domino: domus Aaron, benedicite Domino.
20 Domus Leui, benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Dño.
21 Benedictus Dominus ex Sion: qui habitat in Ierusalem.

PSALMVS CXXXV
Hebr. CXXXVI.

1 COnfitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius.
2 Confitemini Deo deorum: quoniam in æternum misericordia eius.
3 Cōfitemini Domino dominorum: quoniam in æternū misericordia eius.
4 Qui facit mirabilia magna solus: quoniam in æternū misericordia eius.
5 Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in æternum misericordia eius.
6 Qui firmauit terram super aquas: quoniam in æternū misericordia eius.
7 Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternū misericordia eius.
8 Solem in potestatē diei: quoniam in æternum mi-
sericordia eius. 9 Lunam, & stellas in potestatem noctis: quoniā in æternum
misericordia eius. 10 Qui percussit Aegyptū cum primogenitis eorū: quo-
niam in æternum misericordia eius. 11 Qui eduxit Israel de medio eorum:
quoniam in æternum misericordia eius. 12 In manu potenti diuisit nos, &
brachio excelso: quoniam in æternum misericordia eius. 13 Qui diuisit ma-
re rubrum in diuisiones: quoniam in æternum misericordia eius.

14 Et

14 *Isacidum vexit diuisa per æquora prolem*
Aeterna durat cuius indulgentia.
15 *Cum Pharaone fretis redeuntibus agmina voluit,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
16 *Abramidas saluos per tesqua arentia duxit,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
17 *Terribili magnos sopiuit funere reges,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
18 *Eripuit tumidis vitas atq; arma tyrannis*
Aeterna durat cuius indulgentia.
19 *Gentis Amorrhææ dominum Seona peremit,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
20 *Bassanitis strauit fidentem saltibus Ogum,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
21 *Amborumq; dedit venientibus arua colonis,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
22 *Quæ voluit nostri fieri patrimonia census,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
23 *Nam memor aspexit nos vitæ & lucis egentes,*
Aeterna durat cuius indulgentia.
25 *Ille hominem victu, campis animalia pascit*
Aeterna durat cuius indulgentia.
26 *Dicite cælestes moderantem legibus oras,*
Aeterna durat cuius indulgentia.

PSALMVS CXXXVI.
Hebr. CXXXVII.

1 *INgrata propter flumina sedimus*
Campis inundant quæ Babyloniis:
Dum mens querelis ægra demptam
Flebilibus meminit Sionem.

2 Ripæ

14 Et eduxit Israel per medium eius: quoniam in æternum misericordia eius.
15 Et excussit Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro: quoniam in æternum misericordia eius.
16 Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam in æternum misericordia eius.
17 Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum misericordia eius.
18 Et occidit reges fortes: quoniam in æternum misericordia eius.
19 Sehon regem Amorrhæorum: quoniam in æternũ misericordia eius.
20 Et Og regẽ Basan: quoniam in æternum misericordia eius.
21 Et dedit terram eorum hæreditatem: quoniam in æternum misericordia eius.
22 Hæreditatem Israel seruo suo: quoniam in æternum misericordia eius. 23 Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in æternum misericordia eius. 24 Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia eius. 25 Qui dat escam omni carni: quoniam in æternum misericordia eius. 26 Confitemini Deo cæli: quoniam in æternum misericordia eius. 27 Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius.

PSALMVS CXXXVI. Hebr. CXXXVII.

1 SVper flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus: cum recordaremur Sion.

2 *Ripæ hic virebant frondibus vuidi*
Canis falicti: Nablia diximus,
Pendere ramis muta, nunquam
Ad solitos repetenda cantus.

3 *Hic dum gementes adspicit, impotens*
Quid victor, inquit, tristia flebitis?
Ad læta versi cantione
Quin patriis recreatis aures?

4 *Heu qui vehebat nos ferus agmina*
Captiua miles dicere patrios
Mandabat hymnos, quos decebat
Incolumi cecinisse templo.

5 *Nos sacra verò carmina numini*
Fas arbitremur prodere barbaris?
Diuina cantari videbit
A profugis aliena tellus:

6 *O ante chordas tangere mobiles*
Oblita vocum dextera nesciat:
Quam templa, sanctos quam penates,
Et Solymam taceamus vrbem.

7 *O lingua siccis faucibus hæreat,*
Stent ora notæ vocis inania;
Si te Sionem obliuissus
Ex oculis animoue ponam.

8 *Si lætor istis sedibus aduena;*
Si prima post has gaudia lacrymas
Res vlla mæsto, restitutis
Quam Solymæ parient honores.

9 *Aeterne vindex at reminiscere,*
Quid gens Idumes impia dixerit,
Cùm flamma, ferrum, miles atros
In cineres redigebat vrbem.

10 *Inuisa ferro mœnia rumpite,*
Aequate flammis tecta voracibus:
Vrbis cadauer sit, reuulsi
Vt species laceratæ busti.

11 *O fons malorum tu quoq; ciuitas*
Nunc læta nostris cladibus occides:
Vltorq; felix te docebit
Quas patimur tolerare clades.

12 *Ille*

2 In salicibus in medio eius: suspendimus organa nostra.

3 Quia illic interrogauerũt nos, qui captiuos duxerũt nos: verba cantionum.

4 Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

5 Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

6 Si oblitus fuero tui Ierusalem: obliuioni detur dextera mea.

7 Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

8 Si non proposuero Ierusalem: in principio lætitiæ meæ.

9 Memor esto, Domine, filiorum Edom: in die Ierusalem.

10 Qui dicunt; Exinanite: exinanite vsque ad fundamentum in ea.

11 Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionẽ tuam, quam retribuisti nobis.

12 Beatus,

12 *Ille ille prolem flentis ad vbera*
Tollet parentis lactea pendulam:
Franget q; saxis, ante mæstæ
Attonitæ genitricis ora.

PSALMVS CXXXVII.
Hebr. CXXXVIII.

1 *TE Genitor referam solitu, me audire canorum*
Teq; meo coram regibus ore canam:
2 *Ad tua supplicibus veniam sacraria votis,*
Nominis attollam facta loquenda tui.
3 *Te dicam immensa semper bonitate fidelem,*
Promissam donis & superare fidem.
4 *Qua te cunq; die supplex voco, mitis obaudis,*
Ac vires animo sufficis ipse meo.
5 *Sed reges alij discant tua facta per orbem,*
Nutibus inclinent & sua sceptra tuis.
6 *Accipient leges diuinaq; iura canentes;*
Aeterni imperium numinis esse scient.
7 *Nam licet immensum transcendas æthera, dicent*
Quã propè res humiles, quã procul alta videt.
8 *Deprensum in medio quæcunq; pericula turbent:*
Auxilio fugiam notior inde tuo.
Hostis inhumanas vires hebetabis anheli,
Incolumemq; tua me dabis ire manu.
9 *Quod reliquum fuerit præstabis amicus amico,*
O Pater esse bonus qui sine fine soles.
Perge nec impedias manuum benefacta tuarum:
Est decus incolumem me superesse tuum.

PSALMVS CXXXVIII.
Hebr. CXXXIX.

1 *O Mihi secretæ Genitor bene conscie mentis,*
Seu sedeam, surgamue tuo me lumine cernis.

2 *Tu*

12 Beatus, qui tenebit: & allidet paruulos tuos ad petram.

PSALM. CXXXVII.
Hebr. CXXXVIII.

1 COnfitebor tibi, Domine, in toto corde meo: quoniã audisti verba oris mei.
2 In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.
3 Super misericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.
4 In quacunque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.
5 Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.
6 Et cantent in vijs Domini: quoniam magna est gloria Domini.
7 Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longe cognoscit.
8 Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.
9 Dominus retribuet pro me; Domine, misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.

PSALMVS CXXXVIII. Hebr. CXXXIX.

1 DOmine, probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam.

2 *Tu procul arcanos sentis in pectore motus,*
Quo pergam de mane vides, & vespere qualis
Ad placidos redeam post mille negotia somnos.
3 *Non fugitura tuas linguæ vox excidit aures,*
Quippe mea attento circumlegis omnia visu:
4 *Et modò quæ fiunt, & facta antiqua tueris.*
Humanæ inuentor quondā celeberrime formæ,
Os humerosq; mihi, mentemq; animumq; dedisti,
5 *Et fabricam tua dextra suam me prouida seruat.*
Quem cùm respicio, diuina potentia quantum
Visa mihi humanæ radium transcendere mentis?
6 *Qua fugiam te sede latens; quibus occular vmbris?*
7 *Si teneo cælum pennis, apud æthera viuis.*
Ad manes si tendo, manes apud infera regna.
8 *Si bigis Aurora suis me concita raptum*
Detulerit, pigro est vbi meta nouissima ponto,
9 *Hic tua me perimet, vel dextera amica fouebit,*
10 *Si loquar insipiens, me forsitan occulet vmbra,*
Quæ mihi nox fuerit, lampas tibi clara micabit:
11 *Nam velo impediunt tenebræ tibi lumina nullo.*
At caligo vagæ radiat velut orbita flammæ?
Cùm tua per tenebras tam perspicientia regnet,
Quàm cùm solis equi spirant è naribus ignem.
12 *Tu motus animi sentis, qui callida fingis*
Materno in gremio stirpis genitabilis orsa.
13 *Te dicam te sancte canam quem facta per auras*
Admiranda vehunt. Etenim mea fabrica menti
Occurrens; ô quanta Deo sapientia, clamat!
14 *Corporis ossa mei non te latuere sepulti*
In gremio, fœtum Genitor nam primus alebas
Occlusum terræ velut in penetralibus ima.

15 Ceu

2 Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, & funiculū meum inuestigasti.
3 Et omnes vias meas præuidisti: quia non est sermo in lingua mea.
4 Ecce, Domine, tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.
5 Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.
7 Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam?
7 Si ascendero in cælum tu illic es; si descendero in infernum, ades.
8 Si sumpsero pēnas meas diluculo: & habitauero in extremis maris.
9 Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.
10 Et dixi; Forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in delicijs meis.
11 Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies, illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita &
lumen eius. 12 Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de vtero
matris meæ. 13 Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mira-
bilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. 14 Non est occultatum
os meum à te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus
terræ.

15 Imper-

15 *Cen tabulis opifex nota exemplaria pictis*
Aspiceres, sic ora rudi sic brachia massæ
Fingebas, hominis sic cætera membra futuri.
Nec dum tota suos moles animata colores
Induerat, noras iam tu incrementa dierum,
Vnde nihil penitus mutabile sustulit æuum.
16 *Hæc ego dum verso, stupeo miratus honorem,*
17 *Et numerum si scire velim prius æquoris æstu*
Quàm multæ à refluo dicam voluuntur arenæ.
Exurgam, & vigili tecum mihi diffluet æuum.
18 *At genitor sontes, humanæ & cædis amicos,*
Quando premes, oculisq; meis procul esse iubebis?
19 *Contra iussa tuæ legis scelerata rebelles*
Multa mouent, cæloq; audent attollere cristas.
20 *Nonne tui ô vindex osores numinis odi?*
Inq; tuos ira flagraui percitus hostes?
21 *Scilicet instabam sacris Osoribus osor,*
Et bellum indixi sceleratis hostibus hostis.
22 *Volue precor, Genitor, fibrarum occulta mearum*
23 *Arcanos rimare sinus. Terit orbita calles*
Si mea nequitiæ, conuerte ô rector habenas
Vt tua sancta legam recto vestigia cursu.

PSALMVS CXXXIX.
Hebr. CXL.

1 *REx æterne bonus me precor eripe,*
A linguis hominum praua loquentium:
Illorumq; feris vnguibus, improba
Quos exercet iniquitas.
2 *Qui fraudes tacito pectore fabricant,*
Pacis dulce procul nomen in vltimas
Terras ire volunt, & fera turbida
Semper prælia concitant.
3 *Qui linguas acuunt exitiabiles,*
Angues ora velut sibila commouent:
Spumantes labijs toxica noxijs,
Fundunt virus vt Aspides.

4 *O custos*

15 Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.
16 Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.
17 Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exsurrexi, & adhuc sum tecum.
18 Si occideris, Deus, peccatores: viri sanguinum declinate à me.
19 Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate ciuitates suas.
20 Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam?
21 Perfecto odio oderam illos: & inimici facti sunt mihi.
22 Proba me, Deus, & scito cor meũ: interroga me, & cognosce semitas meas.
23 Et vide, si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.

PSALMVS CXXXIX.
Hebr. CXL.

1 ERipe me, Domine, ab homine malo: à viro iniquo eripe me.
2 Qui cogitauerunt cogitationes in corde: tota die constituebant prælia.
3 Acuerunt linguas suas, sicut serpentes: venenum aspidum sub labijs eorum.

5 Custodi

4 *O custos rabidis vnguibus impij*
Me redde incolumem: ne fine callida
Victum fraude capi quam sceleratior
Texit criminis artifex.
5 *Effodere lacum, retia gressibus*
6 *Intendere meis: funibus orbitas*
Inuoluere suis: mille pericula
Tentant, captus vt occidam.
7 *At tu sola mei spes animi Deus,*
Quas effundo preces accipe flebiles:
8 *Qui tam sæpe meum ferrea protegis,*
Inter prælia verticem.
9 *Ne votis hominis, trade nefarij:*
Sontes ipse vides quæ mihi cogitant.
Si me præsidio destituis tuo
Tangent sidera vertice.
10 *Quæ vanis agitant bella laboribus,*
Quæ linguæ vitio pestiferæ coquunt,
Ipsos in Dominos iustius incidant:
Ipsos funditus opprimant.
11 *Tempestas iaculis horrida flammeis*
Illos terribili deuoret impetu:
In fossam barathri non remeabilem
Acti præcipites ruant.
12 *Vocum linguæ diu prodiga neminem*
Seruatura manet: callida fallere
Nec mens viuet, eam conteret æneis
Fraus tandem sua malleis.
13 *Sed fractas inopum res Deus aspicit,*
Inuictaq; manu proteget indigos:
14 *...rasens vnde bonis numen, in æthera*
Iusti laudibus efferent.

PSAL. CXL. Hebr. CXLI.

1 *TE voco sancte Parens, ades ô mihi vota ferenti,*
Auremq; aduerte vocanti.

2 Non

4 Custodi me, Domine, de
manu peccatoris: & ab
hominib⁹ iniqs eripe me.
5 Qui cogitauerunt sup-
plãtare gressus meos: ab-
sconderunt superbi la-
queum mihi.
6 Et funes extenderunt in
laqueum: iuxta iter scan-
dalum posuerunt mihi.
7 Dixi Domino; Deus meus
es tu: exaudi, Domine,
vocé deprecationis meæ.
8 Domine, Domine, virtus
salutis meæ: obumbrasti
super caput meum in die
belli.
9 Ne tradas me, Domine, à
desiderio meo peccato-
ri: cogitauerunt contra
me: ne derelinquas me,
ne forte exaltentur.
10 Caput circuitus eorum:
labor labiorum ipsorum
operiet eos.
11 Cadent super eos car-
bones, in ignem deijcies
eos: in miserijs non sub-
sistent.
12 Vir linguosus non diri-
getur in terra: virum in-
iustum mala capient in
interitu.
13 Cognoui, quia faciet
Dominus iudicium ino-
pis: & vindictã pauperũ.
14 Veruntamen iusti con-
fitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.

PSALMVS CXL. Hebr. CXLI.

1 DOmine, clamaui ad te, exaudi me: intende voci meæ, cum clama-
uero ad te.

2 Diriga-

2 *Non aliter sedes adeant mea vota micantes,*
Quàm thurea dona vaporant,
Nec geminas aliter palmas ad sidera tollam,
Quàm si tibi vespere cæsis.
3 *Sacra feram vitulis. Duris age libera frenis,*
Oris mihi limina claude.
Vestibulumq; tuo seruet custodia iussu,
Labiorum intenta meorum.
4 *Ne sine consilium sceleratáq; facta capessam,*
Epuler, vel parta rapinis.
5 *Ne mihi quas epulis nequam genialibus ornat*
Patiare attingere mensas.
6 *Flagra manu vindex intentet ahenea iustus,*
Ego verbera munus habebo.
Sed caput halanti phiala redolentis oliui,
Homo ne mihi pestifer vngat.
7 *Tum quoq; ne blandis animum detorqueat orsis,*
Votis pia numina flectam.
Hoc precor, in Silicem quando ruet impia turba,
Scelerumq; ad signa vocantes.
8 *Tunc animum feriat me non audisse monentem*
Tua potiora saluti.
Tam placitura bonis, laudat molitus aratro,
Quam pinguia rura colonus.
9 *Heu sic nostra metus laxis compagibus ossa*
Lethæus dissipat Orci:
Robora frondator montana securiger igni
Vt ferro incidat acuto.
Spes mea sancte Parens, in te inclinata recumbit,
Animi ne vota relinque.
10 *Ne patiare capi laqueis, quos impia tectos*
Sceleratáq; turba locauit.
11 *In sua deueniant authores retia, nisu*
Reuolem super alite nodos.

PSAL-

2 Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

3 Pone, Domine, custodiã ori meo: & ostium circumstantiæ labijs meis.

4 Non declines cor meum in verba malitiæ: ad excusandas excusationes in peccatis.

5 Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.

6 Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autẽ peccatoris non impinguet caput meum.

7 Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.

8 Audient verba mea, quoniã potuerunt: sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

9 Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: quia ad te, Domine, Domine, oculi mei: in te speraui, nõ auferas animam meam.

10 Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi: & a scandalis operantium
iniquitatem. 11 Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum
ego, donec transeam.

PSALMVS CXLI.
Hebr. CXLII.

1 *AVxilium Domini supplex ego voce rogaui,*
Precesq; fudi lacrymis tepentes.
2 *Ante illum posui, quæ mens ponenda manebat,*
Et temporum meorum acerbitatem.
3 *Mens agitata malis, defecta laboribus, expes*
Cedebat, & si noueras amicam.
4 *Isse viam recti, nodis tamen æmula passim*
Gens impeditas semitas tenebat.
5 *In quascunq; precor, circumfer lumina partes,*
Mihi adesse amicum neminem videbis.
6 *Nec saltem misero fugiendi est æqua potestas,*
Curante nullo forte si perirem.
7 *Hic ego te vitæ te sola ô ara vocaui,*
Et spes salutis, viuo dum superstes.
8 *Accipe quæ supplex in rebus deprecor arctis:*
Iam penè fractus clade tot malorum.
9 *Eripe, ne prædam patiare sequentibus esse,*
Quibus arma longè fortiora nosti.
10 *Nigrantes habitem cæci ne carceris vmbras,*
In pura lucis arua mitte vinctum.
Tum mihi carmen eris, mediumq; corona bonorum
Gratata cinget, sis mei quod vltor.

PSALMVS CXLII.
Hebr. CXLIII.

1 *AVdi precantis verba mundi Conditor,*
Aurem querelis applica.
Fide & æquitate vindica me, qua tuos
Auertis à periculis.
2 *Ne iure summo, quæso, mecum litiga,*
Nam te feret quis arbitrum!
Aut quis recedet victor à prætorio,
Quo facta pendis gentium?

3 Opus

PSALMVS CXLI.
Hebr. CXLII.

1 VOce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominũ deprecatus sum.
2 Effundo in cõspectu eius orationem meam: & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.
3 In deficiendo ex me spiritum meũ: & tu cognouisti semitas meas.
4 In via hac, qua ambulabam: absconderunt laqueum mihi.
5 Considerabam ad dexteram, & videbam: & non erat, qui cognosceret me.
6 Perijt fuga à me: & non est, qui requirat animam meam.
7 Clamaui ad te, Domine, dixi; Tu es spes mea: portio mea in terra viuentium.
8 Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.
9 Libera me à persequentibus me: quia confortati sunt super me.
10 Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi.

PSALMVS CXLII. Hebr. CXLIII.

1 DOmine, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua; exaudi me in tua iustitia. 2 Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

3 Quia

3 *Opus est amicam commodes dextram mihi,*
Aduersus hostis impetum.
4 *Vitam fatigat & sepulchri ad aggerem*
Me penè raptat mortuum.
Hinc mente raptus æstuante ferueo:
Cor inquietum fluctuat.
5 *At cùm vetusta voluo, facta consulens*
Seruantis indulgentiæ:
6 *Spe subleuatus audeo ad numen tuum,*
Manus precando tollere
Vt sicca nimbos terra quærit algidos,
Te sic auet mens vnicum.
7 *Festinus audi, namq; vitalis calor*
Iam desit in pulmonibus.
8 *Si condis ora, par sepultis frigido*
Busti recondar aggere.
9 *Da mane fructum sentiam clementiæ,*
O sola mentis anchora.
10 *Reclude veri semitas quas ambulem,*
O mentis ara naufragæ.
11 *Ad te refugi, me patronus effero*
Ab hoste fidus eripe.
12 *Quæ vis capessam, numen ô meum doce,*
Et ille ductor spiritus.
Clauum gubernet, quo magistro carbasa
Secunda ponto soluimus.
Tuum per orbem sic eat nomen, tua
Sic alma currat æquitas.
13 *Vitalis haustum lucis indulge mihi*
Tot libero periculis.
14 *Clemens at hostes me fatigantes graui*
Afflige dextræ pondere.
Hæc posco Dominum seruus: hanc Dominus facit
Seruo fiduciam suo.

PSAL.

3 Quia persecutus est inimicus animã meam: humiliauit in terra vitam meam.
4 Collocauit me in obscuris, sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.
5 Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnib' operibus tuis: in factis manuũ tuarum meditabor.
6 Expandi manus meas ad te: anima mea, sicut terra sine aqua tibi.
7 Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.
8 Non auertas faciem tuã à me: & similis ero descendentibus in lacum.
9 Auditam fac mihi mane misericordiã tuam: quia in te speraui.
10 Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.
11 Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatẽ tuam, quia Deus meus es tu.
12 Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen
tuum, Domine, viuificabis me in æquitate tua. 13 Educes de tribulatione
animam meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos. 14 Et
perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus
sum.

PSALMVS CXLIII.
Hebr. CXLIV.

1 *TE Pater alme canam, quo ferrea bella magistro*
Hæ tractant sine clade manus: hæc brachia pugnas
Euentus ineunt non defectura secundis.
2 *Tu bonitas ac ara mihi, tu conscia rupes*
3 *Auxilii, clypeusq; meæ portusq; salutis,*
Spes etiam, populis ius inuiolabile dico.
4 *O quem das hominem mortali è semine cretum*
Esse? quid innumeris attollis honoribus illum?
5 *An similis vacuæ non flatibus euolat auræ,*
Et pennis miserum vadit fugientibus æuum:
Halitus vt nebulæ, tenuataq; solibus vmbra?
6 *Aetheris inclina fastigia summa rubentis*
Ex alto descende polo, iuga frondea tange
Fumeus vnde nigro montes vapor occulet æstu.
7 *Fulmina mitte, fluent: arcu iaculare sonoro,*
Extemplo viso turbabitur impius Orco.
8 *At prætende manum de cælo, & fluctibus aufer*
Me pauidum stygiis. Inbibe violenta malorum
9 *Arma, quibus stillant vanæ mendacia linguæ:*
Et faciles obeunt quæcunq; nefaria dextræ.
10 *Ipse decem fidibus tibi nunc noua carmina dicam*
11 *O Pater auxilium tu regnatoribus affers,*
Quippe tuum sano Dauidem ex hoste receptum,
Fecisti hostilem ne sanguine tinge et ensem.
12 *Eripe me genti, quæ Numinis asperat iram*
Vana loqui, & factis peccare immanibus audax.
13 *At nostra veniat soboles ab origine felix,*
Ceu noua quæ primo surgunt plantaria cultu.
14 *Tum forma insignes & virginitate puellæ,*
Aurea marmorei referant laquearia templi.

15 Cuncta

PSALMVS CXLIII.
Hebr. CXLIV.

1 BEnedictus Dñs Deus
meus, qui docet manus meas ad prælium: &
digitos meos ad bellum.
2 Misericordia mea, & refugium meum: susceptor
meus; & liberator meus.
3 Protector meus, & in ipso
speraui: qui subdit populum meum sub me.
4 Domine, quid est homo,
quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?
5 Homo vanitati similis factus est: dies eius, sicut
vmbra, prætereunt.
6 Domine, inclina cælos
tuos, & descende: tange
montes, & fumigabunt.
7 Fulgura coruscationem,
& dissipabis eos: emitte
sagittas tuas, & conturbabis eos.
8 Emitte manum tuam de
alto, eripe me, & libera
me de aquis multis: de
manu filiorum alienorum.
9 Quorum os locutum est
vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.
10 Deus, canticum nouum
cantabo tibi: in psalterio, decachordo psallam tibi. 11 Qui das salutem
regibus: qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno; eripe me.
12 Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis 13 Quorum filij, sicut nouellæ plantationes: in iuuentute sua. 14 Filiæ eorum compositæ: circumornatæ, vt similitudo templi.

15 Prom-

15 *Cuncta repurgatæ superent granaria messes,*
Copia alat plenos incustodita penates.
Intonsis ouium pascant, in vallibus agni,
16 *Et prata armentum detondeat herbida riuis:*
Vnde colonus agat, fortes in aratra iuuencos.
17 *Arma procul sileant studijs inimica quietis,*
Oppida ne metuant belli quassata ruinas,
Sæuiat alta repens neue inter mœnia clamor.
18 *O populum reddunt quem talia gaudia lætum*
At super euehitur gens numine diues amico.

PSALMVS CXLIV. Hebr. CXLV.

1 *TE Numen regemq; meum, vomit orbita lucem*
Dum rutilam flammata canam: venerabile nomen
Alme tuum, Genitor, ventura in tempora dicam.
Nec cessabo, licet des vltra sæcula vitam.
2 *Nunc veniet quoties Auroræ recludere cælum*
Matutina, tuas in laudes ora resoluam.
Et mea venturis transmittam carmina seclis.
3 *O maius quàm mente queo te fingere Numen,*
Nulla tuas æquant hominum præconia laudes:
4 *Te cecinere patres, etiam tua facta minores*
Accipient, alij atq; alij tua robora dicent.
5 *Nunc decor, & volitans circum te gloria vocem*
Alliciunt, flammantq; mihi miracula pectus.
6 *Posteritas stupefacta canet, quam fortis in hostem,*
Prodigijs olim domitum tremefeceris orbem.
7 *At tua venturo bonitas celebrabitur æuo*
Aspera Iustitiæ quæ mollit ora seueræ.
8 *Diceris veniæ facilis, miserescere pronus,*
Mallesq; cælestem nobis spirare fauorem
Humanam rapido quam vellere turbine gentem:
9 *Nam tua se pietas vltra facta omnia tollit:*
10 *Te rerum memorat series, te nescia dicant*

11 Pectora

15 Promptuaria eorũ plena: eructantia ex hoc in illud.

16 Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boues eorum crassæ

17 Non est ruina maceriæ, neque transitus: neq; clamor in plateis eorum.

18 Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cuius Dominus Deus eius.

PSALMVS CXLIV. Hebr. CXLV.

1 EXaltabo te, Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

2 Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

3 Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.

4 Generatio, & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronunciabunt.

5 Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuę loquentur: & mirabilia tua narrabũt.

6 Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabũt.

7 Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt: & iustitia tua exulta-
bunt. 8 Miserator, & misericors Dominus: patiens & multum misericors.
9 Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius.
10 Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi.

 11 Gloriam

11 *Pectora nequitiæ, celebret quæ gloria regni*
Alme tui, & validæ sit quanta potentia dextræ.
12 *Scilicet vt populos doceant nec sceptra locorum*
Finibus, aut metis te qui potes omnia, claudi.
13 *Tu regnum sine fine tenes, quod temporis alæ*
Nec minuent agiles, nec rerum turbida perflat
Tempestas, motæq; mouent ab origine gentes.
14 *Polliciti fideiq; tenax nutantibus vltrò*
15 16 *Accurris, fractosq; leuas. Viuentia fixis*
Luminibus te sancte vocant, vt scilicet escas
17 *Accipiant: manibus plenis alimenta refundis,*
Et nimium largo saturas animantia victu.
18 *Iustitiæ veriq; Parens atq; omnibus æquus,*
Suppliciter nemo votis animoq; vocabit,
Cui non præsidio soleas occurrere tuto.
20 *O Genitor nimium clemens, & amicus amicis,*
Nam quos alma tui reuerentia numinis ambit,
Hos audis, & dona ferunt quæcunq; rogarunt.
21 *Hæc gentes audite, sui custodit amantes*
Omnipotens, ausos at facta nefaria perdit.
22 *Hunc ideo dum spiro canent mea carmina regem:*
Et quicunq; vagi refugas bibit ætheris auras,
Luna suis donec per cælum cornibus ibit.

PSAL. CXLV. Hebr. CXLVI.

1 *MEns Deo iustas cane grata laudes,*
Quem lyra, & cantu statui sonare:
Cerno vitales ego dum meantis
Aetheris auras.
2 *Nemo promissis hominum acquiescat,*
Regium quamuis diadema gestent:
Est datum nulli semel eiulantem
Sistere vitam. 3 *Spiri-*

11 Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur.
12 Vt notam faciant filijs hominũ potẽtiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui.
13 Regnum tuum, regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione, & generationem.
14 Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.
15 Alleuat Dominus omnes, qui corruunt: & erigit omnes elisos.
16 Oculi omnium in te sperant, Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno.
17 Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.
18 Iustus Dominus in omnibus vijs suis: & sanctus in omnib⁹ operibus suis.
19 Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocãtibus eũ in veritate.

20 Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: &
saluos faciet eos. 21 Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes pec-
catores disperdet. 22 Laudationem Domini loquetur os meum: & bene-
dicat omnis caro nomini sancto eius in sæculum, & in sæculum sæculi.

PSALMVS CXLV. Hebr. CXLVI.

1 LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam
Deo meo, quamdiu fuero. 2 Nolite confidere in principibus: in filijs
hominum, in quibus non est salus.

3 Exibit

3 *Spiritus linquet fugitiuus artus,*
Corpus in terræ cineres recurret:
Et ferent magno meditata regum
Turbine venti.
4 *Quem Pater Diuûm iuuat, est beatus*
Optimi fretum Domini fauore:
Res polo cunctas animantis ortas,
Aequore, terris.
5 *Pacta qui seruat stabilita semper;*
Vltor infirmum rapit à superbo:
Languidos esca reficit, famemq;
Arcet egenis
6 *Carcerum nigras aperit latebras,*
Reddit amissos oculis colores,
7 *Erigit fractos, amat æquitatis*
Aequus amicos.
8 *Seruat errantes bonus inquilinos,*
Est parens orbis, viduis maritus:
Callidas tantùm solet hostis acer
Perdere fraudes.
9 *O Sion (gratum loquor) ille frena*
Orbis æternùm Dominus capesset,
Terra dum fruges dabit, & vagantes
Aequore pisces.

PSAL. CXLVI. Hebr. CXXVII.

1 *Illum canoris dicite laudibus*
Arces Olympi qui tenet igneas:
Nobis honorem, sed parenti
Lætitiam sacer hymnus offert
2 *Belli fugatos cladibus exules*
In chara ducet mœnia patriæ:
Molitus vrbem tecta rursus
Aedificans Solymea ponet.
3 *Atro malorum turbine naufragos,*
In spem salutis mitior erigit:
Fomenta plagis addit acrem
Quæ minuunt animi dolorem.
4 *Est ille flammas innumerabiles*
Solus micantis qui numerat poli
Nomenq; viresq; ignemq;
Syderibus tribuit vigorem.

5 *O quan-*

3 Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.
4 Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius: qui fecit cælum, & terrã, mare, & oĩa, quæ in eis sunt.
5 Qui custodit veritatem in sæculũ, facit iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus.
6 Dñs soluit compeditos: Dñs illuminat cæcos.
7 Dominus erigit elisos: Dominus diligit iustos.
8 Dominus custodit aduenas, pupillum, & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.
9 Regnabit Dominus in sęcula, Deus tuus Sion: in generationem, & generationem.

PSALMVS CXLVI.
Hebr. CXLVII.

1 Laudate Dominũ, quoniã bonus est psalmus: Deo nostro sit iucunda, decoraq; laudatio.
2 Ædificans Ierusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit.
3 Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.
4 Qui numerat multitudinem stellarũ: & omnibus eis nomina vocat.

5 Magnus

5 *O quantus alma est ille potentia,*
Virtute quantus? Iam sapientiæ
Qui facta penset nemo terras
Aut superas habitauit oras.
6 *A sede mites eleuat infima,*
Loco superbos temnit ab arduo:
Humiq; ponit fraudulentæ
Remigio leuitatis actos.
7 *Vocum sonoris dicite canticis,*
Durum sceleslis, & facilem bonis:
Illi canorem nabliorum
Et citharas adhibete dulces.
8 *Campos liquentes nubibus occulit,*
Cùm terra cælum flagitat humidum:
Sensimq; lentos stillat imbres
Vt melius riget arua lymphis.
10 *Dat læta mutis pabula belluis,*
Et se vocantem progeniem feri
Corui relictam pascit, ille
Alituum pecudumq; custos.
11 *Non vis equorum bella frementium*
Delectat illum, non capit alite
Pedum volatu, non lacertis
Indomitis gladiator illum.
12 *Sed qui tremiscunt fœdera legibus*
Sancita: prauis fallere moribus:
Et spes in illius fauore,
Et patria bonitate figunt.

5 Magnus Domin' noster, & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est numerus.
6 Suscipiẽs mansuetos Dominus: humilians autem peccatores vsque ad terram.
7 Præcinite Domino in cõfessione: psallite Deo nostro in cithara.
8 Qui operit cælum nubibus: & parat terræ pluuiam.
9 Qui producit in montibus fœnum: & herbam seruituti hominum.
10 Qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.
11 Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.
12 Beneplacitum est Domino super timẽtes eum: & in eis, qui sperant super misericordia eius.

PSAL. CXLVII. Hebr. CXLVIII.

12 *ERgo canoris vos Solymæ Deum*
Efferte læta vocibus inclytum:
Laudate numen vos Sionis
Aërij dominæ penates.
13 *Firmata ahenis vectibus ostia*
Nam vestra clausit, ciuibus addidit
Per quæ beata pace longum
Incolumes dominantur vrbes.
14 *Acer lacessit non metus hostium,*
Sed pax amicat fertilis oppida;
Iussu Tonantis vos medullâ
Triticei satiantis arui.

PSALMVS CXLVII. Hebr. CXLVII.

13 LAuda, Ierusalẽ, Dominum: lauda Deum tuum, Sion.
14 Quoniam cõfortauit seras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te.
15 Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

16 *Illius almæ vocis ad impetum*
Mox iussa tellus paret, & imbrium
Humecta lymphis flore campos
Germine agros, sata fruge vestit.
17 *Est ille amictu qui iuga laneo*
Vt induisset, sic niue contegit:
Spargit pruinam qui rigentem,
Ceu steriles cinerem per agros.
18 *Vt liba farris, sic glacialibus*
Durata mittit crusta liquoribus:
Hoc membra quæ nam sustinebunt
Duricie lapidosa frigus?
19 *At rursus oris frigora nuncio*
Concreta soluit: nam melioribus
Spirauit auris, & tenaces
Vt refluant tepefecit amnes.
20 *Suam ille mentem pandit Abramidis,*
Quos ante sacris ritibus imbuit:
Ac Israëlis non mouendam
Iustitiam docuit nepotes.
21 *Hac nationes non ope cæteras*
Orbis leuauit: Numinis insciæ
Sunt, nec parentis sempiterni
Aethereos didicere ritus.

16 Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo eius.
17 Qui dat niuem, sicut lanam: nebulam, sicut cinerem spargit.
18 Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?
19 Emittet verbũ suum, & lique faciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.
20 Qui annunciat verbum suum Iacob: iustitias, & indicia sua Israël.
21 Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua nõ manifestauit eis. Alleluia.

PSALMVS CXLVIII.

1 *AVratæ qui templa domus radiosa tenetis,*
2 *Eia Patrem laudate Deum. Vos præpete penna*
Insignes, dominæ qui iussa capessitis aulæ:
Et chorus, & rutilis exercitus igneus alis.
3 *Eia patrem laudate Deum, tu lucifer arua*
Primus anhelanti qui visis eburnea cursu,
Lunaq; fraternæ splendoribus æmula flammæ,
Et vos auricomis argentea crinibus astra.
4 *Eia patrem laudate Deum vos orbibus orbes*
Inclusi, nomenq; poli commune tenentes:
Quæq; super nitidos estis cæli æquora campos.
5 *Ipse Parens iussit, mox quæ nihil antè fuerunt*
6 *Aspexere diem, seruantq; hunc iussa tenorem,*
Quomodo perpetuis sub legibus omnia viuunt.

PSALM. CXLVIII.

1 LAudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis.
2 Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.
3 Laudate eum sol, & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.
4 Laudate eum cæli cælorum: & aquæ omnes, quæ super calos sunt, laudent nomen Domini.
5 Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.
6 Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.

7 *Eia patrem laudate Deum per opaca dracones*
Antra soli, vestri qui tempora ducitis æui:
Et vos sub tremuli specubus gens squammea ponti,
8 *Ignis, grando, niues, & motæ spiritus auræ,*
Numinis vnanimes diuina ad iussa ministri.
9 *Vos montes collesq; simul, nemorumq; recessus*
Seu sterilem baccam, seu mitia poma ferentes:
Et vos aëreo surgentes culmine cedri.
10 *Eia Patrem laudate Deum quæ dura tenetis,*
Saxa, feræ, camposq; greges tondetis amœnos.
Squammigeris etiam spiris qui repitis angues,
Et tremula volucre, quæ nubila finditis ala.
11 *Vos reges populiq; omnes, omnesq; tyranni,*
Et qui iura datis de sede petentibus alta:
12 *Huc pueri veniant, huc virginis ora puellæ,*
Flos hominum, canis & menta niualia plumis.
Vna omnes Domini nomen venerabile tollant,
Cui terræ & cæli laudem soli accola debet:
13 *Cuius honos terras & sidera flammea tranat*
Huuc domus Isacidum tot custodita per annos
14 *Efferat. Hic signum vitæ Deus extulit olim*
Et bona tot populo monstrauit amicus amico.

PSALMVS CXLIX.

1 *ANte non dictum recitate carmen,*
Inclyto rerum Domino Deoq;:
Audiat præsens pia conuocatæ
Turba coronæ.

2 *Prisca felicis domus Abrahami*
Se Deo oblectet Genitore: laudes
Filiæ regi modulentur illi
OreS ionis.

3 *Nomen inductis celebrent choreis*
Vocis ad cantum saliente planta:
Et lyræ gratis fidibus canora
Tympana iungant.

4 *Nam suæ stirpem fouet ille gentis,*
Qui solet blandus recreare mites:
Et noua partæ cumulare donum
Laude salutis.

5 *Gens*

7 Laudate Dñm de terra: dracones, & oẽs abyssi.
8 Ignis, grãdo, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.
9 Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.
10 Bestiæ, & vniuersa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.
11 Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ.
12 Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini.
13 Quia exaltatum est nomen eius solius.
14 Confessio eius super cælum, & terram: & exaltauit cornu populi sui.
15 Hymnus omnibus Sanctis eius: filijs Israel, populo appropinquanti sibi. Alleluia.

PSALMVS CXLIX.

1 CAntate Domino canticum nouũ: laus eius in Ecclesia Sanctorum.
2 Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: & filij Sion exultent in rege suo.
3 Laudent nomen eius in choro: in tympano, & psalterio psallant ei.
4 Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.

5 Exalta-

5 *Gens triumphali foris alma cultu*
Eriget lætum caput: illa secum
At domi stratis eadem nouabit
Gaudia lectis.
6 *In Dei laudes erit ore prona,*
Sed coruscabit manus ense nudo:
Ense qui tactos acie nocentes
Duplice findet.
7 *Vt pari ingentes vice metiantur*
Quas graues olim doluere pœnas:
Et feris reddant populis suorum
Aequa laborum.
8 *Vincient reges pedicis minaces;*
Nobiles regum manicis amicos:
9 *Interim clausi metuent futuram*
Carcere pœnam.
Quam Dei leges statuere, sument,
Cùm die dicta venient citati;
Hæc manet quondam neq; sera cunctos
Gloria Diuos.

PSALMVS CL.

1 *Ingclentem templa cæli*
Personate laudibus.
Aetheris potente campos
Fulcientem dextera.
2 *Eius inuictam sonate*
Ore fortitudinem.
Eia maiestatis almæ
Facta verbis tollite.
3 *AEneæ laudate cantu*
Obstrepente buccinæ.
Nabliis illum sonate
Et lyrarum cantibus.
4 *Tympani laudate pulsu*
Et chori concentibus.
Cymbalis laudat e numen
Læta tinnientibus.
5 *Gestientium & canoris*
Cymbalorum pulsibus.
Laudet illum quicquid auræ
Potat huius spiritum.

LIBRI QVINTI FINIS.

5 Exultabunt Sancti in glo-
ria; lætabuntur in cubili-
bus suis.
6 Exaltationes Dei in gut-
ture eorum: & gladij an-
cipites in manibus eo-
rum.
7 Ad faciendam vindictam
in nationibus; increpa-
tiones in populis.
8 Ad alligandos reges eo-
rum in compedibus; &
nobiles eorum in mani-
cis ferreis.
9 Vt faciāt in eis iudicium
conscriptum; gloria hæc
est omnibus Sanctis eius.
Alleluia.

PSALMVS CL.

1 Laudate Dominum in
Sanctis eius: laudate
eum in firmamento vir-
tutis eius.
2 Laudate eum in virtuti-
bus eius; laudate eum se-
cundū multitudinem ma-
gnitudinis eius.
3 Laudate eum in sono tu-
bæ: laudate eum in psal-
terio, & cythara.
4 Laudate eum in tympa-
no, & choro; laudate eum
in chordis, & organo.
5 Laudate eum in cymba-
lis benesonantibus; lau-
date eum in cymbalis iu-
bilationis; omnis spiritus
laudet Dominum. Alle-
luia.

Num.Psal. A Num.pag.

24 AD te Domine leuaui. 29
27 Ad te Domine clamabo. 33
28 Afferte Domino filij. 34
48 Audite hæc omnes gentes. 67
77 Attendite popule meus. 108
119 Ad Dominum cum tribularer. 183
122 Ad te leuaui. 185

B

1 BEatus vir qui non abijt. 1
31 Beati quorum remissæ 38
33 Benedicam Dominum 41
40 Beatus vir qui intelligit 56
84 Benedixisti domine terram tuam 121
91 Bonum est confiteri Domino 133
102 Benedic anima mea Domino 145
103 Benedic anima mea Domino 147
111 Beatus vir qui timet Dominum 167
118 Beati immaculati 172
127 Beati omnes qui timent 188
143 Benedictus Dominus 204

C

4 CVm inuocarem 3
9 Confitebor tibi Domine 9
15 Conserua me Domine 15
18 Cæli enarrant gloriam Dei 21
74 Confitebimur tibi Deus 104
95 Cantate domino canticum 138
97 Cantate Domine canticum 140
104 Confitemini Domino 149
105 Confitemini Dño quoniam bonus 152
106 Confitemini Domino 156
110 Confitebor tibi Domine 163
117 Confitemini Domino 170
135 Confitemini Domine 195
137 Confitebor tibi Domine 197
149 Cantate Domino Canticum 210

D

3 DOmine quid multiplicati 3
6 Domine ne in furore 5
7 Domine Deus meus in te speraui 6
8 Domine Dominus noster 8
13 Dixit insipiens in corde 14
14 Domine quis habitabit 15
17 Diligam te Domine fortitudo 18
20 Domine in virtute tua 24
21 Deus Deus meus 25
22 Dominus regit me 27
23 Domini est terra 28
26 Dominus illuminatio 31

85 Dixit

Num.Car. A Num.pag.

17 ARdebo te sancte parens. 18
19 Audiat omnipotens. 23
24 Ad tua sollicitas. 29
27 Ad te recurro. 33
42 Arbiter iurisq; custos. 59
45 Ara mihi. 64
48 Audite hæc gentes. 67
60 Aeterne parens. 82
79 Abramidarum Rector. 114
85 Aduerte blandus aurem. 122
104 Aeternum cantate. 149
113 Abramidarum cum domus. 166
119 Afferret ægræ cum 183
122 Ad te parentem 185
141 Auxilium Domini 202
142 Audi precantis 202
148 Auratæ qui templa 209
149 Ante non diuum 210

C

9 CVr procul alme 10
83 Conspicienda tui 120
97 Carminis noui 140
107 Cor est paratum 159
120 Circumferebam 183
125 Cum Deus 187
126 Capta molitur 188
129 Clamaui ex animi 189

D

5 DA facilem 4
10 Dum Domino fidam 12
88 Dum curru 125
129 Dixerat Isacidum 189
131 Dauidem genitor 190

E

23 ESt domini tellus 28
44 Eructat cor læta 62
46 Eia omnes 65
59 Expulsos fractosq; 81
68 Eripe sancte parens 92
105 Eia Deum laudate 152
106 Eia bonum laudate 156
135 Eia Deum laudate bonum 194
147 Ergo canoris 208

F

31 FElix remisit 38
95 Ferte numen 138

G

32 GEns casta 39
109 Grata meo Domino 163

18 Hæc

INDEX PSALMORUM.

Num. psal.		Num. pag.
35	Dixit iniustus	46
37	Domine ne in furore	50
38	Dixi custodiam vias	52
43	Deus auribus nostris	60
45	Deus noster refugium	54
49	Deus Deorum	68
52	Dixit insipiens	72
53	Deus in nomine tuo	73
59	Deus repulisti nos	81
61	Deus Deus meus adte	84
66	Deus misereatur nostri	88
69	Deus in adiutorium meum	95
71	Deus iudicium tuum	97
78	Deus venerunt gentes	113
81	Deus stetit in sinagoga	118
82	Deus quis similis erit tibi	119
87	Domine Deus salutis meę	124
89	Domine refugium factus es	130
92	Dominus regnauit	134
93	Deus vltionum dominus	135
96	Dominus regnauit exultet	130
98	Dominus regnauit	141
101	Domine exaudi orationem	143
108	Deus laudem meam ne tacueris	160
109	Dixit Dominus Domino meo	163
115	Dilexi quoniam exaudiet	168
129	De profundis clamaui	189
130	Domine non est	190
138	Domine probasti me	197
140	Domine clamaui adte	200
142	Domine exaudi orationem	202
	F	
86	Fundamenta eius	124
	I	
10	In Domino confido	12
25	Iudica me Domine	30
30	In te Domine speraui	36
34	Iudica Domine nocentes	43
42	Iudica me Deus	59
65	Iubilate Deo omni terra	87
70	In te Domine speraui	95
85	Inclina Domine aurem tuam	122
99	Iubilate Deo omni terra	111
113	In exitu Israel de ęgipto	166
125	In conuertendo Dominus	187
	L	
112	Laudate pueri Dominum	165
116	Laudate Dominum oēs gētes	170

120 Leuaui

INDEX CARMINUM.

Num. Car.		Num. pag.
	H	
18	Haec cæli species	26
40	Humilem beatus	5
69	Huc ades rerum	95
73	Hosti Pastor oues	102
94	Huc chorum ciues	37
	I	
6	Ira dum reddit	5
13	Impietas addens	14
15	Incolumem seruet	15
34	Iudica tremende	43
52	Impius vt mentem	72
76	Inuocaui conditorem	106
77	Isacidę monitis	108
78	In tua venerunt	113
80	In Dei laudem	116
81	In te potentes	118
84	Iam tua vindictę	121
96	Iam frena regni	139
98	Iam Dominus	141
99	Iubilate cui	142
115	Immortale parens	168
136	Ingrata propter	195
146	Illum canoris	211
150	Incolentem templa	211
	L	
26	Lux alma certa	31
91	Laudibus æthereum	133
116	Lucifer emenso	170
	M	
3	Multi cur pater optime	3
22	Me regit æternis	27
35	Mecum profanę	46
47	Magnus, & ob nostram	65
51	Miserere Genitor	76
58	Me rex Alme	79
102	Mens cane grata	145
103	Mens age grata	147
040	Me siue patrum	163
145	Mens Deo iustas	206
	N	
8	Noster humanę imperator	8
36	Ne licet alta	47
37	Ne me furoris arbiter	56
61	Non ne Dei valida	83
82	Ne genitor sileas	119
114	Non nos meremur	167
123	Nisi adfuisset	168
132	Nil se legitimo	192
	O	

Oter

INDEX PSALMORVM.

Num. psal.		Num. pag.
110	Leuaui oculos meos	138
121	Lætatus sum	184
134	Laudate nomen Domini	129
145	Lauda anima mea Dominum	206
146	Laudate domino quoniam	207
147	Lauda Hierusalem Dominum	208
148	Laudate Dominum de cælis	209
150	Laudate Dominum	211
	M	
47	Magnus Dominus, & laudabilis	65
50	Miserere mei Deus	70
55	Miserere mei Deus quoniam	76
56	Miserere mei Deus	77
88	Misericodias Domini	125
100	Misericordia, & iudicium	142
131	Memento Domine Dauid	190
	N	
36	Noli æmulari	47
75	Notus in Iudea Deus	105
114	Non nobis Domine non nobis	167
123	Nisi quia Dominus	156
126	Nisi Dominus ędificauerit	188
	O	
46	Omnes gentes plaudite	65
	P	
107	Paratum cor meum Deus	159
	Q	
2	Quare fremuerunt	2
41	Quemad modum desiderat	58
51	Quid gloriaris in malitia	71
72	Quam bonus Israel Deus	100
79	Qui regis israel intende	114
83	Quam dilecta tabernacula	119
90	Qui habitat in adiutorio	132
124	Qui confidunt in Domino	186
	S	
11	Saluum me fac Domine	12
57	Si vere vtique iustitiam	78
68	Saluum me fac Deus	92
128	Sæpe expugnauerunt me	189
136	Super flumina Babilonis	195
	T	
64	Te decet hymnus Deus	86
	V	
5	Verba mea auribus	4
12	Vsquequo Domine	13
61	Non ne Deo subiecta erit	38
73	Vt quid Domine repulisti	102
76	Voce mea ad Dominum	106

INDEX CARMINVM.

Num. Car.		Num pag.
	O Ter beatum	1
11	O Rector esto	12
14	O sator rerum	15
21	O Deus o Sanctum	25
50	O miserere parens	70
51	O Rex nomine	73
66	Orbis Alme	88
111	O felix animi	164
121	O plena magni	184
127	O te beatum	188
138	O mihi secretę	197
	P	
61	Prima rubent	84
72	Pars tuę seruas	110
118	Pater Colende	169
	Q	
2	Quid trepidant gentes	2
12	Quo pater vsque	13
25	Qui regit humanis	30
28	Quisquis es armipotens	34
51	Quid te potentem	71
65	Qui terrę incolitis	87
90	Quisquis æterni	132
92	Qui pollente manu	134
93	Qui facies scelerum	135
124	Qui Deo fidunt	186
	R	
30	Rex tibi ne fuerit	36
38	Rumpere me	52
49	Rex hominum diuumque	58
71	Rex æquitatem	97
83	Rex qui gubernas	130
139	Rex æterne bonus	199
	S	
6	Si iusta posco	16
33	Siue quies orbem	41
39	Sperabam Domini	53
41	Sicut agens animam	18
54	Sancte me rerum	74
56	Sancte Deus	77
57	Si ius ab alta	78
63	Supplices audi	84
67	Sancte parens exurge	89
75	Spectra vos gentes	105
87	Siue oriens	124
101	Sancte parens audi	143
130	Si ventosa	150

T

Num Car.	T	Num. pag.
4	TE Deus alme	3
7	Te rector orbis	6
9	Te cithara	9
29	Te genitor quantum	35
64	Te parens rerum	86
70	Tibi credisse	95
74	Te Rex canemus	104
100	Te facilem genitor	142
117	Tollite conspicuum	170
118	Ter beati	172
137	Te genitor referam	197

Nm. Car.		Num. pag.
140	Te voco Sancte parens	200
143	Te pater alme	204
144	Te numen Regemque	205
	V	
20	VIrtute fultus Rex	24
43	Viut adhuc operum	60
86	Vrbis amat supera	124
112	Vocibus læti pueri	165
133	Vos quibus	192
134	Vos nomen	193
94	Venite exultemus Domino	137
141	Voce mea ad Dominum	202

Ego CLAVDIVS AQVAVIVA Societatis IESV, Præpositus Generalis, interpretationem poeticam latinè in centum quinquaginta psalmos, autore LVDOVICO CRVCIO Olysipponensi, eiusdem Societatis IESV, in quinque libros distinctam, a nonnullis nostræ Societatis Theologis, eiusdemque professionis peritis, recognosci mandaui. Quam cùm illi adprobauerint, probo etiam vt possit imprimi, si ita placuerit Dominis quibus incumbit. Datum Romæ, die XXX. Aprilis, Anno Domini M. D. X C V I.

CLAVDIVS AQVAVIVA.

Errata interpretationis

Psalmo 1. nu. 2. numinis 2. 9. vinaes 1. imploratibus 6. 7. vigor 7. 5. fu neretur, . 12. morais 7. populumq; cui 9. ferat 17. 2. congressibus 4. formidine, 9. naribus concipiũt 16. defecta 33. honorem 18. 8. illa 13. ignotas 24. 21. coloret 41. 2. sunt 49. 9. sacras 30. stiipe 72. 3. agitare 77. 2. monuméra 50. 78. 2. auidis 1063. humidà 109. 1. ore 117. 25. auti-stites 121. 2. pede 129. 5. me 133. 4. Sicn 137. 3. promissam 123. 17. clamor.

Errata psal.

Psalmo 2. nu. 9. figuli 38. tuum 65. confitebitur 7. 10. renes 9. 1. mirabilia 13. 11. plebis 16. 8. facis 17. conspectui 17. 13. ignis 20. afflictionis 48. sunt 19. 1. domin... 20. 6. sæculi 24. 18. necessitatibus 29. 14. cõscidisti 30. 16. sum 24. abusione 80. 3. solennitatis, neomenia 88. 15. veritas 105. 28. sacrificia 106. 35. exitus 1. 9. suam 87 dereliqui 154. iudica 123. 2. viuos 12 8. 4. concidet 7. præteribãt 16. eorum 17. maceriæ 18. dominus.

Imprimatur Hercules Vaccarius Vic. Gen. Neap.

Rutilus Gallacinus Canonicus deputatus vidit.
Iohannes Fracifcus Lombardus Canonicus deputatus vidit.

